


BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
H
169
NAPOLI

ANECDOTA GRAECA

ET LATINA

EX MSS. CODICIBUS

BIBLIOTHECAE REGIAE NEAPOLITANAE DEPROMPTA

VOL. I.

PRODROMUS

AUCTORE IOANNE ANDRESIO S. I.

EIUSDEM BIBLIOTHECAE PRAEFECTO.





NEAPOLI MDCCCXVI.
EX REGIA TYPOGRAPHIA.

FERDINANDO IV.

UTRIUSQUE SICILIAE REGI

PIO FELICI AUGUSTO.

Cum in faustissimo tuo reditu in patriam sedemque tuam, Rex sapientissime, civitas universa, ac singuli civium ordines, templaque, collegia, scholae, fora, theatra, loca denique omnia, quae in tua ditione posita sunt, imperioque tuo reguntur, laetitiis omnibus efferantur; Regia Bibliotheca Neapolitana sibi prae ceteris maxime gaudendum, sibique gratulandum,

et in communi laetitia, non communem, sed singularem laetitiae significationem peculiari quodam suo iure sibi edendam esse contendit. Cetera enim omnia Te regem, moderatorem, patronum, gubernatoremque gratissima animi voluntate mirantur atque suspiciunt; Bibliotheca Te dominum conditoremque obsequiis omnibus veneratur, et amantissimum patrem effusa pietate teneroque amoris sensu complectitur. Plurimum quidem illa omnia sapientiae, iustitiae, liberalitati, benignitatique tuae debere se summa animi iucunditate profitentur. Bibliotheca vero totum id, quantumcumque illa est, quod certe maximum esse nemo inficias iverit, totum, inquam, Tibi refert acceptum. Quidquid in illa est, totum a Te profectum, totum omnino tuum est. Tu eam fere a fundamentis excitasti, et ad supremum fastigium evexisti. Tu eam picturis, signis, et multiplici ornamentorum genere decorasti; Tu eam multis nobilissimisque conclavibus amplificasti. Tu mensis, sedilibus, cunctaque supellectile, quae ad bibliothecae usum desiderari potest, ad omnium commodum donasti. Tu, quod caput est, infinita fere librorum copia cum

typis excusorum, tum manu exaratorum locupletasti; Tu denique, quae ornatus utilitasque publicae bibliothecae postulare poterat, regia munificentia, paternoque amore suppeditasti; eamque et tuis, et exteris, et cuicumque hominum generi patere voluisti. Illa vero tot tantisque praesidiis munita, tot tamque insignibus beneficiis cumulata, ut amantissimi parentis ac munifici regis consilio, desiderioque obsecundaret, nullum laborem, nullam diligentiam praetermisit, quominus publico studiorum usui, et reipublicae litterariae utilitati inserviat, eaque praestet, quae a Bibliotheca inter praecipuas et locupletissimas totius Europae adnumeranda praestari par est. Ipsa demum, ut cum civibus, exterisque opes suas, quibus a Te instructa est, communicaret, unde Tibi, ac tuae liberalitati maior honos decusque comparetur, anecdota plura, quae in manuscriptis codicibus latebant, e loculorum latebris eruere curavit: eorumque nonnulla, Te nunc ad populorum tuorum felicitatem redeunte, in suae gestientis laetitiae, maximaeque in Te observantiae signum, ad eruditorum usum in lucem edere constituit. Quaenam ea anecdota sint, quid in Bibliotheca

a Te condita atque ornata actum sit, quid agendum supersit, docet hic Prodromus, quem, et anecdota ipsa Tibi patrono dominoque indulgentissimo dedicat, ut tanto nomine insignita libentius a lectoribus excipiantur; precaturque, ut hoc monumentum grati laetique animi, quo Numen Maiestatemque tuam tot beneficia sibi impertientem veneratur, ea benignitate, quae ingenita Tibi est, quaque omnia, quae ad ingenuas artes promovendas, populorumque tuorum felicitatem decusque augendum sunt accomodata, complecti soles, accipias, atque eadem benevolentia, animique magnitudine, ut semper fecisti, se se, velut filiam parens carissimus diligere pergas, atque amplificare. Vale, Rex Augustissime, et Patriae, Populisque tuis vive diutissime.

Neapoli nonis Ianuarii MDCCCXVI.

Devotus Numini Maiestatique Tuae
Ioannes Andresius S. I.
Regiae Biblioth. Praefectus.

PRAEFATIO.

Quod jamdiu per aliquot saecula communibus votis totius civitatis neapolitanae, et vero etiam universae neapolitanae ditionis vehementer desiderabatur, ut nempe regia bibliotheca bonis libris instructa, studiosorum hominum usui pateret, et sapientiae fontes omnibus aperirentur; id tandem ineunte hoc saeculo concessum nobis esse maxime laetamur. Viderat nimirum haec civitas multis ab hinc retro saeculis reges suos disciplinarum studio deditos, bonis artibus excultos, libros conquirere, bibliothecam apparare, et doctorum hominum ingenio, atque industriae litteraria adjumenta suppeditare.

Fridericus II. e Suevorum stirpe in occidente imperator per annos complures utriusque Siciliae regnum occupavit, et ut erat bonis artibus, prout ea ferebant tempora, perpolitus, cunctos homines, qui in aliqua disciplina praestabant, sive poetae illi essent, sive philosophi, sive jurisprudentes, sive artem quamcunque aliam eximie excolerent, peramanter ad se vocabat, cum eisque eruditis sermonibus, et litteraria consuetudine utebatur. Hic vero plures libros sedulis adhibitis conquisitoribus, et latinos, et graecos, et arabicos comparavit, multorum librorum ut ipse ait (a), voluminibus, et multifarie multisque modis distinctis chirographis armaria suarum divitiarum locupletavit, eorumque copiam doctis illis viris, cum qui-

(a) Epist. lib. III. 67.

bus versabatur, libenter fecit; quin multos et opportunis expositionibus, et latinis versionibus illustrandos illis praebuit, et primus profecto recentiorum principum fuit qui quoddam veluti specimen bibliothecae publicae, sequioribus illis temporibus ederet. Sed luctuosae illae turbae quae Friderici mortem subsequutae sunt, curam omnem, et memoriam librorum prorsus extinxerunt.

Sequenti saeculo XIV. Andegavensium dominatio paulo quietior fuit, licuitque per ea tempora regibus cogitationes suas quandoque ad libros convertere. Extant in regio tabulario libelli rationum accepti et expensi pro libris coëmundis, pro libris compingendis, et decore operiendis, quae satis manifeste declarant, non alienum a regiis curis visum fuisse Andegavensibus animum ad usum librorum intendere. Sed longe ceteros omnes antecelluit Robertus, Petrarchae amicitia maximè clarus, cujus humanitas, litterarum patrocinium, caeteraeque virtutes, innumeris Petrarchae, Boccacii, Villani, aliorumque testimoniis abunde notae sunt omnibus. Sed quod ad rem nostram spectat, librorum ille fuit amantissimus, eorum magnam copiam congessit, bibliothecam confecit, eique praefectum delegit Paulum Perusinum, hominem pro illis temporibus doctissimum, *et curiosissimum, si quis unquam fuit*, uti Joannes Boccacius testatur (a), *in perquirendis jussu sui Principis peregrinis undecumque libris, historiis, et poeticis operibus, et ob id singulari amicitia Barlaamo calabro junctum, ut quae a latinis habere non poterat, eo medio exhauriret a graecis.*

Affulgebat propterea spes fore ut Neapoli regia biblio-

(a) Geneal. Deor. l. c. XV. VI.

theca praefecto munita publicis commodis inserviret, haberetque haec urbs Minervae tamquam armamentarium, unde omnes ad ignorantiam depellendam tela depromerent. Verum oborta haec lux brevi, per Roberti regis decessum, in ipso, ut ita dicam, oriente occidit. Successere contra in aula regia intestini tumultus, rerum omnium perturbationes, externi conflictus, faeminarum dominantium levitates, consanguineorum nobilium simultates; quae quidem omnia impedimento fuere, quominus de bibliotheca, aut de libris cogitaretur.

Advenere demum Aragonensium tempora, atque iterum disciplinae omnes, et scientiarum, artiumque studia in aulam regiam revocata sunt. Cui non dictus Alphonsus primus Aragonensium, qui hocce regnum occupaverunt? Scrinia plurima implerem, si scripta omnia, quae a doctissimis aetatis suae viris, in ejus laudem collata sunt, in unum vellem congerere. Antonius Panormita, Bartholomaeus Facius, Leonardus Aretinus, Poggius Florentinus, Laurentius Valla, Theodorus Gaza, Nicolaus Saguntinus, Franciscus Philelphus, et quis queat omnium nomina percensere? Omnes utique, qui eo tempore doctrinae fama eminebant, stilum suum in eo laudando alacriter acuebant, cujus inauditam beneficentiam, et largitatem, incredibilem humanitatem assidue experiebantur, et admiratione prosequebantur. Atque hic Rex sapientissimus mira ardebat cupiditate libros undequaque adquirendi, neque obvenire illi poterat quidquam optatius, quam ut liber aliquis in manus ejus deferretur. Itaque ingentem ille coegit librorum copiam, et locupletissimam bibliothecam adparavit, quam et innumeris, quos secum semper habebat, litteratis hominibus, et studiosis etiam adole-

scentibus voluit esse communem. Ad illam, ubi sese poterat, ab armorum fragore, a civilium curarum turbine, a regalis imperii procellis, a curialium tricarum fastidio surripere, tamquam ad portum confugiebat. In eam quotquot erant per universam Italiam homines singulari quodam eruditionis nomine insignes, fere omnes ineffabili humanitate recipiebantur. Libri legebantur, ex iis illustriora loca doctis commentationibus amplificabantur, et obscuriora apertis verbis, atque sententiis explicabantur; agitabantur quaestiones, et disciplinae omnes subtilibus doctorum hominum colloquiis, et disputationibus, tanquam heliconiis rivulis irrigabantur. Iannotius Manettus Neapolim profectus, quum regem Alphonsum adiisset, offendit eum in bibliotheca, una cum viris pluribus eruditissimis, de Trinitate acerrime inter se disputantibus; quam disputationem cum Iannotius esset aggressus, rege iudice palmam reportavit (*a*).

Ad extremum usque vitae suae terminum, eum sibi placidissimum morem diebus singulis servavit. Ita enim nobis testatum reliquit Iacobus Curulus in epistola ad Ferdinandum regem: *Alphonsus*, ait, *pater tuus*, *pridie eius diei*, *quam morbo*, *a quo tandem consumptus est*, *corriperetur*, *facto prandio in bibliothecam suam ornatissimam se recepit*, *lectionem audivit*, *quam praeceptor suus Antonius Panormita quotidie agebat*; *ibique cum tu prope eum sederes*, *et ego adessem una*, *et nonnulli etiam familiares*, *mentio facta est de Ælii Donati commentario in Terentii Comoedias*, *quod cum admodum*

(a) Naldus Naldius in vita Ian. Manetti apud Murat. Rer. Italic. tom. xx. pag. 594.

regi, *et omnibus probaretur*, *continuo iniunxit mihi ut in vocabularii modum*, *et formam quamdam redigerem*, *quo facilius et sermonis proprietas*, *et si quid ambiguum*, *aut obscurum occurrisset*, *dignosceretur* (*a*).

Alphonsi bibliotheca ab iis omnibus, qui litteris erant dediti, tanquam Apollinis, et Musarum sacrarium religiose colebatur, et per universam Italiam, et vero etiam per exteras longe regiones praedicabatur. Atque haec quidem Alphonsi bibliotheca parentis sui decessum doluit; quando enim librorum studium, litterarum amor, litteratorum patrocinium ullum ei parem invenient? Sed habuit illa tamen in Alphonsi filio, regnique successore Ferdinando, dulce, et decorum solamen, quo dolorem suum leniret.

Non enim Ferdinandus, uti Friderici, atque Roberti successores, patris sui libros passus est dissipari, imo eos amanter fovit, et magnifice auxit, atque uti imperium a patre datum, sic etiam bibliothecam suis sumptibus perquam largis, et inimicorum suorum spoliis ampliandam curavit. Nam cum nonnulli optimates, qui ad Alphonsi regis exemplum complures sibi libros comparaverant, in illum consurrexissent; Ferdinandus cum eis poenas infligeret, nequaquam passus est, ut libri tanquam levioris pretii suppellex, famulorum rapinae permitterentur; sed eorum curam suscepit, et publico commodo in bibliothecam suam immisit. His accedit quod, cum exorsa eo tempore fuerit germanorum industria ars typographica, qua cujuscunque libri exemplaria mirifice multiplicantur, et

(a) Ep. ad Ferd. Reg. Neap. sup. Ælii Donati Com. in Terent. In cat. Bibl. S. Mich. Murian. col. 295.

non unum, aut alterum, sed centena, et millena, et plura etiam, si velis, fere infinita, uno tractu producuntur, latior Ferdinando patuit genio suo obsequendi facultas, ut bibliothecam uberiore librorum gaza ditaret. Quin et ipse artem, adscito Sixto Reissengero germano Typographo, Neapolim advocavit, atque ex suae bibliothecae codicibus materiem typis exercendis exhibuit. Et tum suae, tum aliorum urbium typographia, plurimis, quos habebat, et a patre relictos, et a se comparatos, manu exaratis codicibus, multos typis excusos adjunxit; itaque hisce omnibus incrementis ornatam bibliothecam, multo quam a patre acceperat, locupletiorem moriens filio suo reliquit.

Erat is Alphonsus Calabriae dux, qui a Pontano, à Campano, Albino, Altilio, aliisque doctissimis viris educatus, atque eruditus, flagrabat etiam amore librorum, et propriam sibi bibliothecam, dum pater viveret, comparari sibi modis omnibus expetebat; et librarios complures alebat, eisque Albinum praefectum, et totius bibliothecae moderatorem adhibuit. Quare hac accessione, post Ferdinandi patris obitum regia bibliotheca neapolitana incredibile incrementum adepta est; et, quod profecto nulli forsan bibliothecae contigit, continua trium regum successione eosdem habuit dominos ac parentes amantissimos, munificentissimosque patronos. Sed neque beata haec Aragonensium bibliotheca diuturna felicitate gavisa est. Alphonsus intestinis motibus, et externis minitationibus perculsus regnum abdicavit. Ferdinandus ejus filius et successor, adveniente cum exercitu Carolo VIII. francorum rege, evasit ab urbe, atque in Aenariam insulam se recepit. Galli Neapoli potiti, omnia rapinis, devastationi-

bus, impudicitiis, atque omni scelerum genere faedabant: et cum paulo post urbem, quam nulla vi ceperant, per vim deserere cogerentur, in ea omnia prorupere, quae rabies, ira, et ulciscendi cupiditas solent suadere; cumque nossent bibliothecam Aragonensibus rerum omnium fuisse carissimam, in eam acerbius irruerunt, et libros suis quosque loculis honeste collocatos, catervatim in terram projectos, alios in ignem, alios in mare proiiciebant (a). Quare gratiae habendae sunt regi Carolo, qui ut Parisiensem bibliothecam Aragonensium principum libris ditaret, multos a militum furore liberavit. Visuntur hodiedum in parisiensi bibliotheca libri complures, qui Aragonensium regum stemmate insigniti, seu optimatium neapolitanorum titulis distincti, clamant, atque profecto manifeste declarant, se modo parisiensibus pluteis detentos, olim ad neapolitanam bibliothecam pertinuisse. Neque solam parisiensem bibliothecam ornavere libri neapolitani a rege Carolo apportati: longe majorem, pretiosioremque librorum supellectilem secum in Hispaniam detulit Ferdinandus Friderici filius Calabriae dux, cujus magnam partem adhuc in monasterio valentino S. Hieronymi, quod S. Michaelis nomine (vulgo *S. Miguel de los Reyes*) nuncupatur, asservari, manifesto testatur manuscriptus index illius bibliothecae, quem ad me olim inde missum, penes me retineo. Sed de fatis tam augustae, predicataeque bibliothecae, non est hic loquendi locus; multo ea longiorem orationem postulant, quae forsitan ab alio me doctiore quamprimum habebitur. Haec tantummodo dicta

---

(a) Ant. Caracciol. de Sac. Eccl. Neap. Monum. Cap. II.

sunt, ut neapolitanorum sortem doleamus, qui cum amplissimam bibliothecam a suis regibus magno sumptu, optimoque delectu apparatam penes se haberent, eam sibi a gallis, hispanisque diripi summo animi dolore viderunt: et cum Parisii, Hispaniaeque ex ea librarias suas opes augerent, neapolitanis unus tantummodo, aut alter liber furtim elapsus relictus est. Neque post ea tempora neapolitano regno in proconsularem Hispaniae provinciam redacto, spes erat, in civitate provinciae principe, quae tot reges bibliothecae instituendae intentos viderat, atque ea tamen prorsus destituebatur, nunc regibus suis orbata, regiam rursus bibliothecam publico usui dicatam exstituram.

Id tamen molitus fuit post saeculi decimi septimi initium Petrus Ferdinandius de Castro Comes de Lemos, qui tunc pro rege hujus ditionis habenas tenebat, qui cum nobilissimum aedifioium scholis habendis, litterariisque muniis exercendis anno 1615. solemni pompa, atque insigni majestate inaugurasset, voluit eidem bibliothecam tanto loco dignam adjungere. Non pigebit in eo, quod totius hujusce operis cardo est, rem altius repetere, et orationem ab ovo, ut ita dicam, exordiri.

Statuerat anno 1586. Petrus de Giron dux Ossunensis, qui tunc prorex erat, magnificum regiis equis asservandis stabulum aedificare in eo loco, qui nunc *Studiorum* dicitur, quique tunc nulli plane usui addictus longe lateque patebat. Sed cum neque aquarum opportunitas, neque alia pleraque ad id necessaria suppeterent, visum deinde fuit incoeptum, et paene perfectum opus abiicere, aut vero in meliorem alium usum convertere. Itaque aliquo post tempore, anno circiter 1630, Petrus

Ferdinandius de Castro Comes de Lemos , qui tunc pro-rex erat , existimavit majoris pretii aedificium illud esse putandum , quam ut equorum stabulo serviret , curavitque , ut in ampliorem dignitatem exigeretur , atque scholis habendis adhiberetur.

Erat is bonarum artium amantissimus , quas eximie adolescens Salmanticae excoluerat , et pro litterarum amore , et egregia generosaque propriae indolis liberalitate , voluit magnificum monumentum scientiis construere , et locum illum amplissimum scholis habendis destinare. Vagabatur sine sede , neque certum ullum habebat locum , in quo consisteret , Academia Neapolitana. Placuit propterea pro-regi eam in illa aede stabilire , et locum illum nobilitare , ut ubi agasones , et muliones essent habitaturi , ibi doctores atque magistri versarentur , et pro equorum hinnitu scholasticae disputationes resonarent. Quare ingentem illam molem a Petro Girone Duce Ossunensi erectam novis suis consiliis accomodavit. Latum atrium , spatiosas porticus ad auditorum frequentiam , ampla conclavia ad lectiones tradendas , nobilioremque aulam ad sollemniora scholarum exercitia habenda magnifice construxit , totamque aedis frontem picturis , statuis , aliisque ornamentis decoravit ; demumque magnificum opus numeris omnibus absolutum publica inauguratione augusta pompa celebravit. Neque his contentus , cum errantes scientiarum officinas in nobili , honestaque sede locasset , aegre ferebat eas opportunis instrumentis destitui , voluitque proinde scholis librorum adjumenta , et bibliothecam adjungere.

Itaque amplissimam aulam ejus magnitudinis , quae nunc etiam admirationi est , qualem nulla olim Bibliothe-

ca noverat, exstrui jussit, legesque sancivit, illudque praeterea providit, ut libri quovis pretio coempti, aut aliunde quoquomodo acquisiti in eam comportarentur. Sed ille tamen in Hispaniam a rege vocatus, optatam rem ad exitum perducere non valuit, et abiens affectum opus reliquit. Verumtamen egregio huic viro laus est tribuenda, quod difficillimis illis temporibus rem tantam aggressus fuerit, venia danda, quod nou perfecerit.

Praeterlapsi postea sunt quamplurimi annorum cursus, quin neque ad eam conficiendam aedem lapis ullus adjiceretur, neque de Bibliotheca cogitaretur. Multae inde post ea tempora rerum conversiones, multae regnorum, imperiorumque vicissitudines, donec anno 1733. Neapoli denuo regium solium erectum est, et rex Neapolitanis datus Carolus Borbonius Philippi Quinti Hispaniarum Regis, et Elisabethae Farnesiae Parmensis Ducissae filius, qui eo tempore principatum parmensem materno jure occupabat. Is cum ex angusta illa ditione in amplissimum utriusque Siciliae imperium eveheretur, Austriacisque parmensem, placentinamque provincias occupandas relinqueret, noluit ea, quae maternae hereditatis jure ad eum pertinebant, imprudenter abiicere, sed omnia secum in novum suum Regnum transferre; jussitque tabulas, numismata, libros, musaeum, et bibliothecam quamprimum Neapolim ad se deferri. Cum vero haec omnia Neapolim pervenere, cogitavit illico rex Carolus bibliothecam construere, in qua tot illi libri et typis impressi, et manu exarati collocarentur, et jam inde complures pluteos ad eam rem praeparavit. Non tamen licuit Carolo illis novi imperii temporibus, cum bellis sustinen-

dis, magistratibus ordinandis, legibus statuendis, regni conditionibus firmandis, totque aliis gravioribus negotiis transigendis distineretur, in hanc curam, nobilissimam illam quidem, et regis animo dignam, sed minus eo tempore necessariam, intente, uti oportebat, incumbere, totamque bibliothecae conficiendae laudem filio heredique suo Ferdinando reliquit.

Hic vero anno demum 1779 manum operi admovit, et sub hujus saeculi initium bibliothecam demum perfectam dedit, atque ea amplitudine, et magnificentia perfectam, ut diuturnas exspectationis moras operis splendore, et dignitate compensaret. Ingentem illam aulam a comite de Lemos tot ante annos inchoatam, seu potius primis tantummodo lineis designatam, ad finem perduxit, asciavit, polivit, solum variegatis laterculis constravit, parietes, tectumque elegantibus picturis ornavit, pluteis instruxit, et omnia ad amussim redegit. Alia deinde conclavia exstrui fecit, mensas, sedilia, et omnia quaecunque ad commodiorem, et splendidiorem usum conferebant, locupletissimè suffecit: libros demum, quod caput est, abundantissimè paravit, tandemque bibliothecam ornatissimam ad initium hujus saeculi publico usui exposuit, et studiosis omnibus, cunctisque litterarum amatoribus, aut etiam honestae curiositati indulgentibus patefecit.

Ab eo tempore datur omnibus liber ad Bibliothecam accessus, et ingens, singulis quibusque diebus, fit hominum concursus, adolescentium, et adultorum, neapolitanorum, et exterorum: multi quin etiam e longinquis Regionibus Italiam invisentes ad manuscriptos codices consulendos adproperant. Hujus porro bibliothecae meae fidei

commissa est Praefectura. Ego vero cum eam provinciam suscepi, omni ope enitendum putavi, ut cujus cura summo mihi esset honori, eidem aliquod nomen, decusque, quantum per tenuitatem ingenii mei, oculorum infirmitatem, et provectae aetatis incommoda liceret, afferendum curarem. Illud in primis mearum partium esse existimavi, ut codices manuscriptos, quos magno numero esse videbam, quosque non minoris pretii fore arbitrabar, penitus perlustrarem, ut eorum catalogum contexerem, et si quid in eis ignotum, ineditumve sese offerret, luci publicae darem. Nefas enim esse videbatur, ut cum benigna regum providentia, ampla bibliotheca bono publico esset exposita, ejus litterariae divitiae ulterius delitescerent, ignotaeque jacerent litterarum utilitati subreptae. Noveram quoque id maximè bibliothecis honorem conciliare; si ab illis nova lumina in litterariam rempublicam emittantur. Quis unquam antea vel fando quidem noverat duas illas locupletissimas bibliothecas matritensem, atque moscuensem in extremis Europae finibus, meridionali et septentrionali collocatas? Nunc vero vix Joannes Iriarte graecorum codicum bibliotecae matritensis catalogum, et in eo duos Procli hymnos, et nonnulla antea inedita, ex illis codicibus produxit, et Christianus Fridericus Matthaei moscuensis bibliothecae catalogum, et ejusdem anecdota in vulgus edidit; eae bibliothecae in omnium ore feruntur, frequenterque ad eruditionem sive firmandam, sive augendam, honoris causa nominantur. Itaque alacriter operi manum admovi, et codices pervolutandos suscepi. Cum enim ex multis, iisque non illaudatis bibliothecis farnesiana nempe, carbonariana, aliisque non paucis, haec

nostra coaluerit, dubitare nequaquam licebat plurimos exinde diversae notae codices in eam confluxisse, compluresque in ea, pretiosasque litterarias merces jacere, quae si in vulgus ederentur, magnam illico famae celebritatem eidem compararent.

Cui non nota farnesiana bibliotheca, in qua comparanda, augendaque pontifex maximus Paulus III., cardinales amplissimi, aliique ex Farnesiana familia praeclari viri curas facultatesque suas impenderunt? Prima illius origo a supremo ecclesiae principe, summoque pontifice Paulo III. Farnesio repetenda prorsus est. Ille enim a prima adolescentia litterarum amore accensus, doctorum hominum consuetudinem, et graecorum, latinorumque librorum lectionem unicè appetebat; in iisque animum suum suavissimè oblectabat. Ita porro de illo scriptum reliquit Romulus Amaseus (*a*): *Clarissimorum in omni liberalium disciplinarum genere hominum fama allectus Ficini, Politiani, Chalcondylae, Lascaris, ad eos se Florentiam contulit. Quo tempore et cum Pico Mirandulano admirabilis ingenii, et incredibilis doctrinae adolescente, et cum Joanne Medice, qui Leo postea fuit X., cotidianus ei fuit usus, ac familiaritas, et suavissima in communibus maximarum artium studiis aemulatio.* Et paulo post: *Quidquid subcisivi temporis, e maximis poterat occupationibus eripere, id totum ad eos legendos, et pervolutandos auctores conferebat, qui vel graeca, vel latina oratione quodvis divinae, aut humanae doctrinae genus litterarum monumentis man-*

(a) Orat. in fun. Pauli III.

dassent; *cujus rei maxime perspicua extant argumenta sexcenta prope librorum volumina ipsius manu a primo ad postremum paginarum marginem politissimè, ac scientissimè pernotata. Ex iis ille fontibus dicendi, intelligendi, res maximas gerendi praecepta hauriebat.* Plura alia in Pauli eruditionem graecam, atque latinam amplis laudibus ornat, quae longum esset huc afferre. Neque aliter de Paulo scribunt caeteri omnes illius aetatis praestantiores doctrina viri. Petrus Bembus ita eum omnibus politioribus litteris, et doctrinis perornatum fuisse scribit, ut in his *multo doctior quam Leo X. habitus fuerit* (*a*): multique propterea litterati sibi honori ducebant suos libros ad ipsum tanquam ad patronum, et vero etiam tanquam ad judicem deferre. Extat etiam nunc in nostra bibliotheca manu exaratus liber Nicolai Leoniceni in suam Laurentii Vallae defensionem, Alexandro Cardinali Farnesio, nondum ad pontificium thronum evecto, inscriptus; cumque quaestio illa spectaret graecorum verborum vim, proprietatemque sermonis, mentemque Aristotelis, aliorumque graecorum scriptorum rectè interpretandam, librum Farnesio consecrat, utpote qui omnium opinione earum rerum scientissimus, suum judicium ferre posset. Et cum post Nicolai mortem Thomas Leonicenus ejus fratris filius librum ipsum Alexandro mitteret; *ea est*, scribebat, *auctoritas tua summis artibus, et singulari doctrina comparata, ut ille ad docti nomen satis profecisse videri possit, qui tuo gravissimo iudicio dignus est habitus, cujus scripta libenter lectitentur.* Datum illum orbi terrarum a Deo Optimo

(a) Ep. nunc. ad Paul III. suar. epist. nom. Leo X. script.

Maximo scripsit Marcus Antonius Flaminius (a) *qui eloquentiam, et liberales disciplinas, non modo e barbarorum injuriis vindicaret, sed etiam patrocinio suo augeret, et amplificaret, et praestantium virtute et litteris virorum, singulari sua liberalitate incitaret. Quid enim aliud expectari debeat a principe nobilitate, ingenio, eloquentia, magnitudine animi, prudentiaque florentissimo, qui a prima pueritia litteris graecis, et latinis semper deditus fuerit, et animum omnibus optimis artibus diligenter exornarit?* Atque id causae fuit, cur XII. Aristotelis librum de prima philosophia elegantissimè illustratum eidem dicaret, ut qui liber de Deo, deque sapientia dissereret, is liber ad eum principem mitteretur qui sapientissimus foret, et in terris gravissima Dei munera obiret. Donatus Veronensis, qui Eusebii Caesariensis Evangelicae Demonstrationis libros in latinum convertit, eos suo, vel potius Jo. Matthaei Giberti veronensis episcopi nomine Alexandro Farnesio paulo ante creato summo pontifici nuncupat. Memoria enim tenebat Gibertus, Farnesium illorum graecum exemplar, quod unum in Italia penes Io. Franciscum mirandulensem principem extaret, omni studio, et habendum, et legendum curasse, idemque summopere laudare consuesse. *Caeterum ego quidem*, ait Donatus, *quod ad me attinet, vel maximum laborum meorum fructum mihi percepisse videbor, si cum huic Gibērto patrono meo, tuaeque sanctitatis humillimo clienti obtemperavero, ipsum opus a me latinum factum, tibi non displicuisse cognovero. Cum enim sanctitas tua illud propria Graecorum lin-*

(a) Ep. Paraphr. in XII. lib. Arist. de prima Philosophia. Praefat.

gua exaratum diligentissime olim legerit, quam ego id recte interpretatus sim, multo facilius judicare poterit (*a*). Arsenius Monembasiae Archiepiscopus Scholia graeca in septem Euripidis tragedias typis Lucae Antonii Junctae Venetiis edita 1534. Paulo pontifici dicat, quod ipsum noverit graecorum a fasciis admiratorem *τα των ἑλληνων εκ σπαργανων θαυμαζοντα*, et homericissimum, atque poetarum aeque, ac Philosophorum studio incumbentem *ομηρικωτατον οντα, και ποιηταις ουκ ηττον, η και τοις φιλοσοφοις προσκειμενον*.

Adservatur adhuc inter Farnesianos codices catalogus graecorum codicum Vaticanae bibliothecae jussu Pauli III. a Michaele Rosseto homine graeco ejusdem pontificis domestico graece compositus, ut facilius, uti optabat pontifex, communi graecarum litterarum usui, graecanicae illius bibliothecae opes paterent. Quin et celeberrimam ipsum bibliothecam ex graecis, latinisque libris concinnasse, ejusque usum liberaliter eruditis hominibus exhibuisse ab Aloysio Lipomano intelligi fas est. Hic enim *Catenam* suam *in Genesim* ei nuncupans, his verbis affatur. *Plurimum Sanctitati tuae nos debere fatemur, quod vetustissimos graecos codices, et nunquam typis excusos, ex celeberrima illa tua bibliotheca, nobis benigne subministrasti, ex qua non pauca, eaque recondita, in hoc volumine ingessimus*: immo ut supra ex Romulo Amaseo vidimus sexcenta prope librorum volumina ipsius manu a primo ad postremum paginarum marginem politissimè, ac scientissimè pernotata. Nonnulli etiam nunc extant in

(a) Ep. dedic.

nostra Bibliotheca graeci codices jussu Alexandri cardinalis Farnesii annis 1493. , et 1494. a Joanne Rhoso Cretensi descripti (*a*). Nec in dubium vocari sine injuria potest, plurimos alios ex Farnesianis libris, qui modo nostram Bibliothecam exornant, a magno illo Pontifice in Farnesianam traductos fuisse.

Verum nihilo secius, licet multa magnaque sint Pauli Pontificis merita in Farnesianam Bibliothecam, verus tamen illius auctor et parens Alexander Cardinalis Farnesius Pauli Pontificis nepos prorsus habendus est. Alexander hic nimirum fere ab infantia disciplinis omnibus imbutus, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, toto vitae suae tempore in graecis latinisque litteris, quam potuit, operam posuit, nihilque habuit jucundius, quam se totum librorum lectioni, et litteratorum hominum colloquiis, et consuetudini tradere. Eximium apud nos extat monumentum puerilis illius ingenii atque mirabilis in litterarum studio profectus in codice latinarum epistolarum, quas ipse 13. et 14. suae aetatis anno ad Paulum tertium Pontificem Maximum, ad Rodulphum

(a) En aliquot eorum notas = Τουτο το βιβλιον (Hermogenis Rhetorica) μετεγραφη ὑπο Ιωαννου ἱερεως του ῥωσου κρητος το γενος ὑποτριπης, και εξοδου του αιδεσιμωτατου κυριου ἡμων κυριου Αλεξανδρου φαρνεζε της ῥωμαικης καθολικης, και αποστολικης εκκλησιας Καρδηναλιου, των ἁγιων, και θαυματουργων αναργυρων Κοσμα, και Δαμιανου ετει απο της Χριστου γεννησεως χιλιοστῳ τετρακοσιοστῳ, ενενηκοστῳ τεταρτῳ Μηνος Νοεμβριου πεντε, και δεκατῃ εν Ρωμῃ.

Μετεγραφη ἡ βιβλος αυτη εν ῥωμῃ του λογιωτατου Κυρου Μανουηλ Μοσχοπουλου αναλωμασι μεν του αιδεσιμωτατου κυριου ἡμετερ.υ κυριου Αλεξανδρου του Φαρνεζε της ῥωμαικης καθολικης, και αποστολικης εκκλησιας Καρδηναλιου των αγιων ενδοξων, και θαυματουργων αναργυρων Κοσμα, και Δαμιανου. Χειρι δε Ιωαννου πρεσβυτερου ῥωσου του κρητος, ετει απο της χῦ γεννησεως. α.υ. ενενηκοστῳ τριτῳ μηνος δεκεμβριου εικοστῇ. Mitto alios.

Pium, ad Perenottum, Contarenum, Campeggium, aliosque Cardinales amplissimos, atque ad nonnullos alios clarissimos viros eleganti stilo scribebat. Vixdum annum XV. excesserat, cum non Parmae, Bononiae, et Romae tantum, sed per exteras etiam gentes, *de singulari ejus ingenio, et modestia, deque optimis, et liberalissimis moribus, illaque in primis admirabili comitate verae nobilitatis socia, qua probos, et doctos praecipue complectebatur, ingens fama percrebuerat*, ut ad ipsum Carpentoracte scribebat Sadoletus (*a*). Itaque hac fama invitati doctissimi quique viri ad eum undique confluebant, a quo se scirent comiter, et amicè fore recipiendos: neque ullus fuit insigni eruditione ornatus, aut aliquo studiorum genere florens, quem ille ab aedibus, a congressu, a mensa arcendum putaret (*b*). *Quis nescit*, scribit ad eumdem Petrus Victorius (*c*), *quanto studio tu semper ornaris doctos, et eruditos viros, et quantopere dignitas eorum, commodaque curae tibi fuerint, nec tantum cum, vivente adhuc Paulo III. optimo, sapientissimoque sene, neque satis unquam laudato Pontifice, florentibusque tuis rebus, concursus ad te litteratorum cunctorum fiebat, eorumque omnium, qui in aliqua honesta arte caeteris praestabant, quibus omnibus praesidio eras, in eosque alacri animo gratiam tuam, benignitatemque conferebas, sed etiam reliquis temporibus, duriore quoque tua fortuna, nunquam de-*

(a) Epist. CCXXXII.
(b) Ciacconius. Petr.-Vit. Pont. et Card. tom. III.
(c) Lib. IV. epist. XVIII.

stitisti fovere studia, semperque domus tua plena fuit eruditorum hominum, et in omni genere litterarum magnopere celebratorum. Non est huius loci eximii illius Cardinalis laudes praedicare, et doctissimorum illius aetatis hominum Sadoleti, Fracastorii, Molzae, Flaminii, Gambarae, aliorumque complurium praeclara de illius sapientia, litterarum studio, ac singulari in litteratos comitate, et beneficentia testimonia, quae magnum quoddam volumen efficerent, congerere.

Unum tantummodo huc adducam Petri Devarii, quod et graeci hominis sit, et minus notum, et ad rem nostram propius spectet. Hic enim, cum Matthaei Devarii avunculi sui librum de graecae linguae particulis Cardinali Alexandro dicaret: *Matthaeus Devarius*, inquit, *avunculus meus multos quidem libros reliquit, octo et viginti annis a se conscriptos, quo tempore in tuorum numero familiarium, ad extremum usque vitae diem domi tuae versatus est.* Et cum plura de superiori Matthaei vita narrasset, ipsumque dixisset in praeclarissimi Cardinalis Nicolai Rodulphi domo cum aliis doctis viris, et latinis, et graecis, complures annos degisse, et post illius cardinalis obitum ab Alexandro benigne accitum; *In tua igitur domo*, pergit, *aetatem reliquam Devarius traduxit, cum praeclarè secum agi putaret, quod se, et principis amplissimi patrocinium nactum esse, et in celeberrimorum virorum numero videret adscriptum, qui doctrinis essent omnibus exculti, quibus tuam domum semper esse ornatam voluisti, quae tamen eos vicissim non minus ornaret, quam ab ipsis ornaretur. Ubi enim, nisi domi tuae, Pater amplissi-*

me, (*ut a poetica incipiam facultate*) *veluti in Pindo aliquo monte*, *vel Parnasso Franciscus Maria Molza*, *Laurentius Gambarus*, *Bernardus Cappellus*, *aliique permulti poetae nostra aetate praestantissimi floruerunt? Ubi unquam plures*, *quam domi tuae*, *aut eloquentiae laude*, *aut variarum*, *pulcherrimarumque rerum cognitione praestantes? Ex quibus si Romulum Amaseum*, *Annibalem Carum*, *Carolum Gualteruccium*, *Fulvium Ursinum* (*cujus mentio nobis alias infra non sine laude ipsi debita facienda*) *Guidum Lolgium*, *Antonium Aelium Episcopum deinde Polensem*, *alterum item Antonium Aelium*, *qui Casertae item est postea praefectus Episcopus*, *Joannem Baptistam Possevinum*, *Hieronymum Mercurialem nostra aetate Medicum celeberrimum*, *si vel hos*, *inquam*, (*ut caeteros quamplurimos taceam*) *proferre velim*, *nemo*, *ut opinor*, *erit*, *cui fuerit horum eruditio vel consuetudine familiari perspecta*, *vel etiam fama ipsa*, *et auditione cognita*, *qui mendacii nos possit*, *vel temeritatis accusare. Quid? nonne*, *ut ex equo trojano fortissimi viri*, *ita e domo tua*, *quae semper doctrinarum omnium*, *etiam divinarum seminarium fuit*, *non modo Episcopi permulti*, *hoc est Ecclesiae Orthodoxae pastores*, *verum etiam Cardinales nonnulli*, *hoc est*, *reipublicae christianae lumina*, *et Summi etiam Pontifices prodiere?* Atque hic debita cum laude Cardinales appellat Bernardinum Maffejum, Nicolaum Ardinghellium, Antonium Facchinettum, et ipsum etiam summum Pontificem Marcellum II., qui omnes in Alexandri domesticorum numero summa cum laude versati, decus illud

amplissimum, quod eorum merita postulabant, ex ipsius domo retulerunt. Satis hoc laudis patrono munificentissimo, ejusque litteratae familiae impertitum videri potest: sed illud tamen observare libet, quod vere quidem Devarius cum tanto numero illustres viros ex Alexandri domesticis recensuisset, se quamplurimos alios tacuisse subjungit. Nam et Hieronymus Ferrarius Corrigiensis, qui, ut scribit ad Cardinalem Caesarinum Paulus Manutius, (*a*) *plura in veterum scriptis, vel correctione restituit, vel explicatione illustravit, et emendationes praesertim in Philippicas Ciceronis elucubravit*, quas idem Manutius multis verbis commendat, et praelis suis edendas committit, Romae apud eundem Cardinalem Farnesium obiit (*b*). Et Onuphrius Panvinius, praeclarum illud rei litterariae lumen, et Parmae, et Romae, et in itinere Siculo usque ad obitum per multos annos Alexandri comitatui, et obsequio addictus aperte profitebatur, *se post Deum, operam, industriam, spem, omnes denique fortunas suas in Alexandri Farnesii Cardinalis amplissimi fide, et pietate collocasse* (*c*). Et alii permulti viri eruditione praestantes in Alexandri aedibus otium, et commoda omnia ad optima studia excolenda, et bonis artibus tranquille vacandum, reperere. Quorum hominum consuetudine, et frequenti, familiarique colloquio, vel bardum quemque ad bona studia fovenda excitari oportebat;

(a) Ep. dedic. Philipp. Cicer.

(b) Hieron. Londi in Catalog. p. 260.

(c) Ep. ad Laur. Celsum XII. virum, apud Lagomarsinum Not. ad Pogiani ep. Vol. IV. pag. 92, et saepe alibi.

quanto magis hunc, qui optimo ingenio praeditus, et fere ab infantia litteris graecis et latinis instructus, suapte natura ad ea ferebatur, ad quae nova quotidie calcaria sibi alacriter currenti admoveri sentiebat? Quare nihil erat Alexandro iucundius, quam, ubi posset, a gravissimis, quae sustinebat negotiis, aliquantulum se subducere, totum sese in libris involvere, eos aut legere, aut legentes audire, et frontem curis contractam librorum lectione, et eruditis litteratorum hominum sermonibus explicare. Recte quidem Petrus Victorius (*a*) ei revocat in memoriam, qua suavitate perfunderetur, cum Florentiae, dum esset otiosus, potuit diuturnam sitim explere, totoque animo studiis bonarum artium incumbere, quarum cupidus semper fuerat, ac suavissimos Musarum fontes puer degustarat. Quare quos libros adeo vehementer amabat, eos secum habitare, et sibi semper ad manus adesse summopere avebat, et Bibliothecae suae adipiscendos curabat. Atque idcirco tot illi eruditi contubernales, ut ejus genio obsecundarent, atque etiam ut litterariis ipsorum exercitationibus promptum domi subsidium haberent, diligenter erant intenti, ut latinos, graecosque libros undecumque perquirerent, sive praelis excusos, sive manu exaratos, et Cardinali aut coemendos, aut exscribendos deferrent. Complures illi suppeditabat magnus ille librorum explorator Fulvius Ursinus, videnturque etiam nunc nonnulli suis adnotationibus illustrati. Egregios eidem Conciliorum codices comparavit Onuphrius Panvinius, quorum exemplar, ut quovis pretio sibi describeretur, orabat optimus

(a) Petr. Vict. epist. lib. III. ep. I.

librorum cognitor Antonius Augustinus (*a*). Graecis Codicibus ad Farnesianam Bibliothecam convehendis incumbebat graecus Devarius, et aliquos ipse etiam manu sua describebat. Graeca exemplaria eidem exaravit Joannes Honorius, *quem* Βιβλιογραφον *graecorum voluminum multo omnium, qui fuere, quique nunc sunt, et qui post aliis erunt in annis, eminentissimum*, dicit Benedictus Aegius (*b*); ut mirandum sit insignem adeo scriptorem in Calligraphorum catalogo fuisse a Montfauconio praetermissum (*c*). Et Carus, et Molza, et plerique alii domestici litterati, et alii etiam, qui extra Cardinalis tecta degentes, ipsius benevolentiam inire satagebant, libros quotquot poterant, ejus conspectui, arbitrioque sistebant, quippe qui noverant nullum ipsi gratius obsequium praestare posse, quam multis optimisque libris suam Bibliothecam ditare. His accessere libri Ranutii Cardinalis Alexandri fratris, qui et ipse erat litterarum studiosus amator, et munificus litteratorum patronus, quique Fulvium Ursinum, Latinum Latinium, aliosque viros doctissimos domi alebat, cumque iisdem eruditis sermonibus utebatur, et multos proinde pretiososque Codices et manuscriptos, et typis impressos assidue comparabat. Et cum is iuvenis admodum immatura morte praereptus fuerit, libraria eius suppellex, paucis exceptis codicibus Vaticanae adsignatis, Alexandri Bibliothecam locupletavit. Itaque brevi tempore mirifice amplificata est ea Bibliothe-

---

(a) Ant. Aug. Ep. ined. I. a Panvino.
(b) Annot. in Apollod. Bibliothec. 36. 2. 5.
(c) Palaeogr. gr. Lib. I. c. VIII.

ca; atque eius ope conspicuos fructus res litteraria percepit. Jacebat adhuc inedita Apollodori Bibliotheca: eam post medium saeculum XVI. ad exemplar a Jano Metello sibi concessum latinitate donavit, et in lucem protulit, quem modo honoris causa nominavimus, Benedictus Aegius; sed ex farnesianis codicibus complures locos castigat, variantes lectiones exhibet, multa emendat, nonnulla adiungit, et ad omnem fere paginam honorificentissimis verbis Codices, et Bibliothecam, et Cardinalem commendat: *Cardinalis ille amplissimus*, ait, *ut ipse est omni virtutum genere ornatissimus, ita domus eius omnis, ac Bibliotheca, haec quidem castigatissimis graecis latinisque exemplaribus, illa autem eruditissimis, humanissimisque viris referta est* (*a*). In cunctis illis Aeschyli editionibus, quas primum Aldus Manutius, dein Adrianus Turnebus, demum Franciscus Robortellus faciendas curarunt, *Agamemnonis* tragoediae prima tantum pars, eaque admodum parva typis excusa fuerat: integram nactus fuit Petrus Victorius, voluitque eam luci dare, integritati suae restitutam; *et cum audissemus*, inquit, *in Bibliotheca Alexandri Farnesii summi Antistitis, atque omni re nobili et splendido homine digna instructissimi, Aeschyli volumen inveniri, in quo haec fabula legeretur, conferendam eam a nobis descriptam curavimus cum eo exemplari, in quo nobis operam suam fidelem, atque eruditam praebuit Sirletus, ut cuncta diligenter notaret, quae aliter ibi lege-*

(a) Loc. cit. 46. 1. 15., et 65. 2. 14. et 78. 1. 5. et 79. 1. 1.

rentur (a) Egregius locus est Isaaci Casauboni in praefatione ad suas in Athenaeum animadversiones, ubi de Athenaei exemplaribus manuscriptis verba faciens, pluribus in Farnesiani laudem excurrit. *Longe*, ait, *ipsis tribus, et aliis omnibus, quae ab eodem exemplo sunt orta, et emendatius, et integrius illud est, quod in celebratissima Farnesii Bibliotheca habetur. Ei libro acceptum ferre debes quidquid in prioribus desideratum exhibet nostra editio; multas autem voces, multas periodos integras, interdum etiam plures singulis prope paginis adjecimus, ut taceam de eximio illo fragmento libri ultimi, quod ante nos Gullielmus Canterus indidem nactus publicaverat.* Unum illud insigne fragmentum, quod hic innuit Casaubonus, quodque maiorem partem libri XV. Athenaei implet, abunde cunctis esse debet ad illius Bibliothecae commendationem. Illud enim, quantum profecto est, totum Codici Farnesiano, quem tantis laudibus et Casaubonus, et Muretus, et Ursinus, et critici omnes ornant, omnino debetur.

Neque dubium cuiquam movere debent ipsius Gullielmi Canteri verba, dum in prima editione *Novarum lectionum* Basileae 1566. lib. 3. c. 31., ubi hoc fragmentum primum evulgavit, ita illud enuntiat: *istud autem fragmentum a Marco Antonio Mureto, cum nuper ex Italia rediisset in Galliam, missum ad nos devenit, ut erat ab eo ex Vaticana Bibliotheca descriptum.* Verum non satis consulto haec a Cantero scripta, neque certo ipsi notum unde, aut quomodo Muretus il-

(a) Praef. ad Aeschyli edit.

lud exscripserit. Non enim ille a Mureto exemplum acceperat, neque Muretum quidem amice unquam noverat: immo cum opus *Novarum lectionum* epistola dono Mureto misit, veniam ab eo petit, quod ad ipsum scribat, seseque excusat, quod, ipso inscio, fragmentum illud vulgarit, quod ab Aurato, communi utriusque amico, delatum ipsi fuerat (*a*). Unde parum illi constasse videtur, ex quo codice Muretus exscripserit. Et vero in editionibus posterioribus Antuerpiae ann. 1571, et 1574, et in alia editione, quam multis locis emendaverat, auxeratque, quae in *Thesauro critico* Gruteri tom. 3. lib. IX. c. 1. modo legitur, non a Mureto ex Vaticano codice exscriptum, atque a se missum dicit, sed tantummodo *ex Italiae Bibliothecis primum ad nos delatum* ait. Quod vero ex Farnesiano codice fragmentum illud, quod Canterus edidit, excerptum fuerit, et Casaubonus, ut modo vidimus, affirmat, et Hieronymus Mercurialis, qui gravior in ea parte auctor est, utpote qui unus erat ex clarissimis Alexandri Farnesii familiaribus (*b*), aperte testatur: *hocce fragmentum a Gullielmo Cantero ex Farnesiana Bibliotheca acceptum, et typis excusum est*. Demum, quod majoris momenti est, Fulvius Ursinus, qui illius Codicis Farnesiani usuram passim se cepisse demonstrat, cum locum adducit lib. XV. Athenaei: *Hic liber*, inquit, *cum mutilus antea, mancusque esset, supplerunt docti quidam viri ex Farnesiano codice, quem saepius iam nominavi.* Unde dubitari minimè potest, quin Canterus, cum nosset hoc-

---

(a) Mureti Epist. Lib. II. ep. 42.
(b) Var. lect. lib. I. c. 21.

ce fragmentum a Mureto ex aliquo Romano codice desumptum, innocenti errore Vaticanum codicem pro Farnesiano scripserit, et insigne illud fragmentum tantopere decantatum, Bibliothecae Farnesianae acceptum omnino sit referendum.

Jure merito Justus Lipsius in Cornelii Taciti editione de consulto Farnesiano codice, tanquam de invento thesauro sibi gratulabatur, et in annotationibus ad illius historici textum, loca plurima emendat, et illustrat. Dialogum vero *de Oratoribus*, sive Taciti, sive Quintiliani, sive alterius cujusque ille sit, totum se Farnesiano codici debere fatetur.

Fulvius Ursinus egregius ille criticus, lectionis copia, eruditione incredibili, et mira ingenii sagacitate praestantissimus in Ranutii Farnesii Cardinalis familia primum altus, educatusque, et post immaturum hujus obitum ab Alexandro fratre in domum suam accitus, in ejus Bibliotheca se totum abdidit, in eaque reconditus nihil intactum reliquit, ut antiquos libros ex illius Bibliothecae codicibus emendaret, majoremque toti rei litterariae lucem afferret. Plurima loca Philosophorum, Poetarum, Poetriarum, aliorumque Scriptorum ex Hefestionis, Athenaei, Stobaei, aliorumque codicibus farnesianis emendavit, auxit, atque illustravit (*a*). Ex uno Stobaei Farnesiano codice elegantissimum Bionis Idyllium *ειαρ*, sive *ver* nuncupatum, omnibus antea incognitum, in lucem publicam emisit (*b*), et ex eo caeteri omnes reliquiarum Bionis editores rem poeticam graecam locupletarunt. Nuper vero cl·

(a) Vid. Carm. Ill. faem. Edit. Antuerp. 1658. pag. 284. 322. et al.
(b) Loc. cit. p. 233.

Rich. Fr. Phil. Brunck (*a*) inter analecta sua reposuit. Festi grammatici libros Pomponius Laetus, aliique e tenebris quoquomodo eduxerunt. Antonius Augustinus eos ex codice Farnesiano emendaverat, auxeratque. Ursinus vero, cui, ut idem ait, Farnesianas hasce Antiquitatis reliquias inspiciendi, et arbitratu suo tractandi, commoditas saepe fuit, fragmenti schedia ad fidem Archetypi exemplaris repraesentari curavit. Paginas eo, quo Festus scripsit, ordine, numero versuum in singulis pagellis, et litterarum in unoquoque versu, nec aucto, nec diminuto, disposuit, partem paginarum mutilam in infinitis locis resarcivit, ut doctorum ingenia excitaret ad bene de hoc fragmento merendum, et novam quodammodo vitam Festi libris restituit. Atque ita complura alia ad veterum librorum correctionem, et antiquitatis cognitionem, et suo, et aliorum usui, bono Reipublicae litterariae ex optimis farnesianis codicibus deprompsit. Ad exemplar ex Joannis Sambuci Bibliotheca desumptum, Eclogarum Stobaei editionem suam Antuerpiae prolatam anno 1575. composuit Gulielmus Canterus; sed idem ad Farnesianam quandoque provocat, et nonnulla Sambuciani Codicis loca ex eodem emendat. At de Farnesianis Stobaei Codicibus luculentius testimonium praestat nostris hisce temporibus cl. Arn. Herm. Ludovicus Heeren in praefatione ad suam Eclogarum Stobaei editionem annis 1792, 1802 Gottingae vulgatam. Hic enim exempla omnia Eclogarum enumerat, quae per universam Europam sibi, aut amicis suis vidisse contigit, et unum tantummodo nuncu-

(a) Tom. I. pag. 383.

pat ex Bibliotheca Augustana, unum item ex Vaticana, unum ex Escurialensi, unum ex Parisiensi, sed duo ex Farnesiana; quin etiam eorum alterum caeteris omnibus, et antiquitate, et Scholiorum copia, et utilitate praeferendum (*a*). Et, ut plura alia omittam, dici quodammodo potest, vix quemquam esse criticum graecorum, latinorumque scriptorum editorem, qui non saepe in suis animadversionibus ad Farnesianam Bibliothecam, tanquam ad aequissimum veritatis tribunal appellet. Itaque his, aliisque Farnesianis codicibus, praeclara lux antiquorum scriptis affulgebat, crescebatque existimatio, et fama Bibliothecae, qua tantopere res litteraria adjuvabatur; cumque tot, tantaque lumina antiquorum scriptis emendandis, illustrandisque suppeditaret, multo etiam plura polliceri videbatur. Quare vel ea sola, quae Regiae nostrae Neapolitanae Bibliothecae basis, et fundamentum dicenda est, satis erat ad nostros animos erigendos; beneque nos sperare jubebat fore, ut multa in ea adhuc reperiremus, quae nondum in apricum prolata, jure merito postularent, ut in doctorum hominum conspectum venirent.

Atque eo magis spes nostrae attollebantur, quod Bibliothecam S.Joannis in Carbonaria Farnesianae adjunctam videremus. Fuit illa fere instructa libris sive impressis, sive manu exaratis, quos Janus Parrhasius, inter celebriores sui aevi humaniorum litterarum doctores facile princeps, sibi vivens comparavit. Multa possem de Jano Parrhasio verba facere, plurimisque, et insignibus doctissimorum hominum testimoniis litteraria ejus merita celebrare. Sed missa ea fa-

(a) Notit. Cod. Mss. Eclogarum.

cio, cum Parrhasii vita a viro erudito Cataldo Jannellio hujus Bibliothecae scriptore accuratissime scripta regiis typis quamprimum edenda sit. Parrhasius enimvero librorum cupidissimus amator per totam Italiam complurimos, eosque pretiosissimos codices quoque aere coemendos curavit: et cum per annos plurimos Antonio Seripando litteraria consuetudine, et arctissima familiaritate conjunctus esset, voluit eidem pretiosissimum hocce munus, amicitiae suae monumentum, moriens relinquere. Hisce Parrhasii libris Antonius et ipse librorum avidissimus plures alios a se acquisitos adjunxit, et fratri suo Hieronymo praeposito generali Ordinis Augustiniani, et S. R. Ecclesiae Cardinali dono dedit. Hieronymus autem et eos omnes in Monasterii sui S.Joannis in Carbonaria Biblioteca reposuit, et ut erat ille bonis studiis tum sacris, tum profanis impense deditus, florebatque doctrina, ac virtute, et gravissima auctoritate, et doctorum hominum amicitiis, magnam item librorum copiam per se ipse conquisivit, et suos omnes, et Antonii fratris, et Parrhasii libros, novam supellectilem quovis auro pretiosiorem eidem Bibliothecae reliquit. In schedulis Paschalis Baffii viri de hac nostra Bibliotheca benemeriti scriptum invenio, legisse se in antiquo quodam catalogo Bibliothecae Carbonariae, quem ille catalogum confectum putat Tridenti, cum Cardinalis Seripandus, unus ex Sacri Concilii Tridentini praesidibus, ibi vita functus est, duo mille scilicet, et eo amplius codices manuscriptos, longèque majorem impressorum copiam tum ibi penes cardinalem extitisse; qui quidem fere omnes, aut saltem majorem partem, ad suam, seu S.Joannis in Carbonaria Bibliothecam pertinebant. Uberrimi fructus ex illis Se-

ripandorum, et Parrhasii libris in rem litterariam brevi derivarunt.

Vix erat solo nomine notus Flavius Sosipater Charisius antiquus grammaticus, romanae linguae accuratissimus observator: forte fortuna accidit, ut illius exemplar Janus Parrhasius inveniret, ejusque describendi copiam amicis faceret, atque inde profecto Joannes Pièrius Cyminius omnium primus antiquas Sosipatri lucubrationes ad communem hominum studiosorum utilitatem anno 1532 in lucem proferret. *Archetypus vero codex vetustissimus*, ut ille lectores monet, *Neapoli a Hieronymo Seripando doctissimo patritio servabatur*; qui modo etiam in nostra Regia Bibliotheca aspiciendum se praebet. Ignotos Ennii versus ex manuscriptis libris Bibliothecae Carbonariae profert in suo *Ennio* Hieronymus Columna; nam pag. 83 versum Ennii, quem Virgilius sibi mutuandum putavit, *apparere*, ait, *in Bibliotheca Carbonaria ex vetusto fragmento in membranis anonymi cujusdam grammatici, qui agens de verbis neutris impersonalibus expresse ex Ennio citat verba illa.* *Quem super ingens porta tonat coeli.* Tum alibi pag. 234. *incertus Grammaticus*, inquit, *atque pervetustus ex Bibliotheca Carbonaria asserens* eructo *verbum ab* erugo *principali derivare, hunc Ennii versum adducit. Unde habeas quaerit nemo.* Et saepe alibi suam Ennii editionem ex Carbonariae Bibliothecae codicibus locupletiorem reddit. Graecum alphabetum producit in Palaeographia graeca Montfauconius ex manuscripto codice Homiliarum in Evangelium septimi, ut putatur, saeculi, qui in Bibliotheca Augustinianorum S. Joannis in Carbonaria extabat (*a*). Quam

(a) Pag. 224.

multis et verbis describit,et laudibus commendat idem Montfauconius Dioscoridis codicem membranaceum Neapoli a se visum! *Et extat*, inquit, *in Bibliotheca Augustinianorum S. Joannis de Carbonara Neapoli* (*a*). Complures alios codices aliqua egregia laude praestantes ex eadem Bibliotheca enumerat in Diario Italico idem Montfauconius. (*b*) Quae quidem omnia, et complura alia doctorum hominum testimonia satis ostendunt Parrhasianam, aut Seripandianam, seu S. Joannis in Carbonaria Bibliothecam, neque Farnesiana inferiorem fuisse codicum numero, et eorum pretio superiorem fortassis esse existimandam. Quod si unaquaeque earum non modicum spicilegium, sed uberrimam messem praestitura videbatur, quid non de utraque nostris disquisitionibus patente sperare fas erat?

His accedebant Jesuiticarum domuum Bibliothecae, in quibus nescio quot olim asservarentur codices. Nunc certe in nostra apparent et Nicetas, et Leo Tacticus, et alii nonnulli graeci, latinique, qui se ad *Coll.Neapol.Soc.Jesu* pertinuisse scriptum in fronte ferant. In eandem hanc regiam Bibliothecam translati sunt codices ex bibliothecis Benedictinorum S. Severini, et Chartusianorum S.Martini. Venere item ex Trojana Ecclesia plures antiqui Codices ad res sacras, et Ecclesiasticas spectantes, qui saeculis XI,et XII, aut fere illis temporibus conscripti SS.Patrum opera, prisca Kalendaria, vetera liturgica multa, aliaque ecclesiastica monumenta exhibentes pretiosi spicilegii spem nobis faciunt: congestaque pariter fuerunt nonnulla volumina ex Monaste-

(a) Pag. 212.
(b) Pag. 308 et seq

riis Aquilanis, et aliunde collecta. Ad eandem bibliothecam augendam comparati sunt libri et ipsi impressi, et manu exarati, qui Bibliothecae Principis Tarsiae aliquam celebritatem afferebant. Adiectae demum hisce annis sunt tenues exuviae, exiguaeque reliquiae locupletioris Bibliothecae PP. Theatinorum ad SS. Apostolos, ex qua plurima per universam Europam latinorum, graecorumque Scriptorum exemplaria dispersa sunt. Et in iis tamen reliquiis quaedam ad usum nostrum excerpenda reperimus. Nonnulla item ex PP. Dominicanorum aliorumque coenobiis in regiam Bibliothecam delata numerum nostrorum codicum augent.

Magna profecto haec sunt, atque ita magna, ut parum aequus rerum aestimator videri possit, qui non putet nascentem hanc nostram Bibliothecam cum primariis totius Europae jam longo annorum intervallo adultis, atque ampla codicum copia, et celebritate florentibus, merito comparandam; sperandumque nobis esse in tanta librorum amplitudine, atque praestantia complura repertum iri graeca, et latina scripta adhuc latentia, quae si modo in lucem proferrentur, et rei litterariae adiumento essent futura, et nostrae Bibliothecae nomen decusque apud omnes auctura. Sed cum ad rem propius inspectandam aggressi sumus, multo aliter evenire intelleximus, spesque nostrae haud temere erectae admodum decidere visae sunt. Casus igitur, vicesque, atque fortunam harum Bibliothecarum leviter percurramus, expectationemque nostram angustioribus terminis circumscribamus.

Nimirum Farnesiana Bibliotheca, quae Romae nata, liberaliterque educata, ibique per plures annos diligenter, et amicè servata, doctorum hominum oculis, et lucubra-

tionibus patuit, postea Parmam traducta, nescio quo fato derelicta quodammodo, et neglecta iacuit, tineis tantum, blattisque, et rudibus servis, impolitisque custodibus commissa. Sub initium saeculi XVIII. anno scilicet 1701. mense maio Palatium Ducis Parmae invisere voluit Montfauconius, scriptumque reliquit: *In vestibulo quodam extant duo septa asseribus admotis circumquaque clausa, ubi codices manuscripti bene multi ab aliquot annis tumulantur, nec parvo Reipublicae Litterariae damno diù, ut creditur, iacebunt sepulti* (*a*). Hisce fortasse, atque aliis eiusmodi exterorum querelis excitati fuerunt Parmenses, ut codices illis carceribus obligatos, in maiorem quamdam libertatem emitterent. Videmus enim anno 1726 licuisse Iacobo Philippo Dorvillio egregium Nicolai Perotti codicem non modo summatim percurrere, sed nonnulla etiam exscribere, et Burmanno Phaedri editori mittenda curare. Verum toto eo tempore, et insectorum, tempestatumqne iniuriis, et custodum sive incuria, sive perfidia, et herorum, ut ita dicam, incuriositate, et negligentia, infandam codicum iacturam accidisse necesse fuit. Quod quidem quamvis satis per se manifestum appareat, cum ea sit in universum rerum conditio, ut quae indiligenter asservantur, largiter effluant, et evanescant; placet tamen aliquo exemplo confirmare. Non in Italia modo, sed per universam Europam notus erat Farnesianus Athenaei codex, de quo supra loquentem Casaubonum, Fulvium Ursinum, aliosque adduximus; multique paulo curiosiores litterati variantes lectiones ex eo descri-

(a) Diar. Ital. pag. 444.

pserant, ut idem Casaubonus locupletissime testatur, qui post ea, quae supra relata sunt, his verbis prosequitur: *Nostra editio Farnesianum fere exhibet, repraesentatum nobis a clarissimo viro Henrico Stephano, qui ante annos ferme quinquaginta, cum Romae esset, accuratissime omnes varietates scripturae ad oram sui codicis adnotaverat. Idem fecerat paucis ante Stephanum annis et Benedictus Aegius Spoletinus, qui temporibus illis Romae inter peritissimos graecarum litterarum est habitus; ejus etiam indicem vidimus nos inter alios neutiquam vulgares Petri Gelasii hispani libros. Fecerunt idem postea et alii item multi. Itaque Farnesianas illas Notas passim reperias in eruditorum bibliothecis, non solum Italorum, sed et Cisalpinorum. Habuit eas uterque interpres, habuit et vir eximius Conradus Gesnerus, cuius librum doctissimi Gasparis Wolfii opera nacti sumus. Easdem et nobilissimus studiorumque nostrorum studiosissimus Marcus Velserus Augusta Vindelicorum ad nos misit, ab Andrea Scotto altae eruditionis viro secum communicatas.* At praestantissimus hic codex, ad quem, tamquam ad oraculum, ad Athenaei sensa percipienda eruditi omnes confugiebant, nequaquam inter Farnesianae Bibliothecae codices reperitur. *Extet ne*, ait Io. Schweighaeuser (a), *ad hunc diem Farnesianus ille codex, aut supersitne omnino Bibliotheca Farnesiana, nec ullibi memoratum memini, nec nunc, vel ex libris, qui mihi ad manus sunt, vel ex ore eorum virorum, quibus haec talia debere comperta esse putaveram, di-*

(a) Praefat. in Athenaeum.

scere potui. Verum superesse adhuc Farnesianam Bibliothecam, et satis antea constabat, et modo ea omnia, quae diximus, abunde declarant. Extet ne vero Farnesianus ille codex et nos etiam prorsus ignoramus: hic profecto in Farnesiana Bibliotheca nunc Neapoli nullatenus existit, et Parma jamdiu aberat. Extat etiamnum Parmae antiqnus catalogus Farnesianae Bibliothecae, neque in eo ulla apparet hujusce codicis indicatio, ut existimari facile queat, jam tnm pretiosiori sua supellectile, multisque codicibus Bibliothecam illam fuisse spoliatam.

Verum luctuosiores illi calamitates adhuc imminebant. Principatus Parmensis, rernmque civilium in Italia conversio, commutationem quoque Farnesianae Bibliothecae attulit, eamque novis stragibus obiecit. Nam cum Carolus Borbonius e Parmensi ditione, uti supra diximus, in Neapolitanum Regnum ascendisset, jussissetque farnesianos libros ad se quamprimum deferri, peracta est praecipitanter haec exportatio, et anno 1736 libri omnes Neapolim allati. Quid opus est aut oratione, aut cogitatione recensere quot quantaque damna in tota illa perturbatione subierit, dum codices a septis extrahuntur, in arcas inseruntur, multorum oculis manuque teruntur, compluriumque aut incuriae inertiaeque, ant aviditati, rapacitatique subiiciuntur? Nonnulli profecto tunc sunt deperditi, alii direpti, alii lacerati; verumtamen satis multi Neapolim attigere. Sed nova hic malorum series, maiora detrimenta subsecuta sunt. Cogitavit quidem Rex Carolus regiam Bibliothecam construere, in qua tot illi libri, et typis impressi, et manu exarati collocarentur. Verum interea, dum tempus adveniret, quo manus operi admovere-

tur, libros illos in palatinis aedibus Capimontanis collocandos decrevit. Longior mora fuit, quam ab initio putabatur; nam cum regi Carolo toto Regni sui tempore non licuisset desideratum opus aut inchoare, aut perficere; totam illam Bibliothecae conficiendae laudem filio, haeredique suo Ferdinando reliquit. Interea vero toto illo annorum spatio, quo libri in Capimontanis aedibus, extra Urbem procul ab hominum conspectu, mercenarii cujusdam custodis fide tenebantur, ampla patebat janua neapolitanis, exterisque litteratis, qui Farnesianam Bibliothecam olim tantopere celebratam perscrutari avebant, suum cujusque librarium penu illius mercibus locupletandi. Quid enim illis impedimento esse poterat, nisi religione continerentur, quominus integras paginas, et folia ex codicibus dissuerent, et parva volumina in peram immitterent, et quae vellent, quaeque sibi usui esse existimarent, inde surriperent? Facile admodum erat Argum illum servilem, ignorantia, ignaviaque sua dormitantem, eludere, aut si opus esset, modicae stipis papavere penitus consopire. Concinnavit anno 1747 Petrus Rutinellius parmensis codicum illorum catalogum, qui in eas aedes immissi sunt: hunc si cum eo conferas, quem codicum graecorum Paschalis Baffius ad Harlesium misit, quemque is in quinto volumine Bibliothecae graecae Fabricianae vulgavit, quam multos deprehendes eo temporis intervallo evanuisse? Quin si ipsum Baffii recentiorem catalogum ad examen revoces, non pauci tibi occurrent in eo signati codices, quos frustra in pluteis requires. Memoria teneo vidisse me olim in alienis manibus nonnullos codices graecos, atque latinos margine deaurato, elegantissime scriptos, Farnesianorum stemma-

te insignitos, quos postea animadverti in Rutinellii catalogo iisdem notis fuisse signatos; quique modo nusquam in nostra Bibliotheca comparent. Quin in ipsis voluminibus, quae nunc extant, non pauca discerpta sunt, imo, quod magis dolendum est, quodque maxime nostris votis adversatur, id saepius observavi, atque aliis animadvertendum praebui, eas semper paginas desiderari, in quibus aliquod opusculum contineretur, quod in indice ad frontem voluminis apposito *ineditum* dicebatur. Quod quis non videat, quantum a bene concepta ampli spicilegii spe animum nostrum dejiceret?

Quod si tot nobis deflenda sunt detrimenta in Farnesianam Bibliothecam illata, multo magis dolendum est de Parrhasianae, seu Seripandianae misera vastatione. Quis poterit vel divinando conjicere, quam multi pretiosi codices una cum Hieronymo Seripando anno 1563 Tridenti perierint? Notum abunde est, quot, quantisque expilationibus in praelatorum ecclesiasticorum obitu ipsorum bona subjaceant. Quid tum Tridenti extra sedem, domumque suam, longè a cognatis, amicisque fidelibus, in frequentissimo congressu multorum hominum ex omni natione, et gente congregatorum, quorum plerique litteris dediti, librorum appetentes, Seripando familiares, sat sibi juris esse arbitrabantur, ut cujus eruditis colloquiis in vita perfrui licuerat, ejusdem post mortem litteratis spoliis proficerent? Verum missa haec faciamus, de quibus vana est divinatio. Illud certo constat doluisse illam Bibliothecam non semel tantum, neque una solummodo manu acerba sibi vulnera inflicta. Iam saeculo XVII nescio quo mercimonio librario aliquot ejus codices in Bataviam abiere.

Montfauconius in Diario Italico (*a*), cum dixisset complures in ea Bibliotheca codices graecos, atque latinos enumerari: *olim*, subjungit, *numerosiorem a Batavo quodam emptis multis codicibus, magna supellectilis parte mulctatam accepimus.* Nimirum Ioannes de Wit Batavus Neapolim veniens corrupto monacho quodam, pecuniae magis, quam librorum avido, terceutum argenteis, quadraginta, eosque melioris notae codices surripuit. Id memorat non sine acerbo animi dolore Neapolitanus Matthaeus Aegyptius coaevus testis (*b*): latiusque facti historiam enarrat Winkelmanus (*c*). Sed major illi pernicies ineunte saeculo XVIII allata est.

Nota est historia a Kollario in Commentariis Bibliothecae Caesareae Vindobonensis (*d*) Nicolai Forlosiae Neapolitani verbis relata, et saepe ab aliis repetita. Dominantibus scilicet eo tempore Neapoli Austriacis, Alexandri Riccardi Neapolitani consilio suasuque iussit Carolus VI Imperator, ut ex melioribus Codicibus Neapolitanis exem-

---

(a) P. 307.

(b) *Pref. al Giro del Mondo del Gemelli.* E quì non mi dà l' animo senz' amaritudine ridurmi per la memoria un tal With olandese, il quale oomecchè poco, o niente gli era riuscito in lettere sentir molto avanti, volle dar da parlar di se nella Patria col portarsi via dalla nostra Città coll'opera d'un uom dabbene, che gli rubò, i migliori manoscritti greci e latini, che nella libreria di S. Gio. in Carbonara si serbassero.

(c) *Lett. XI au Cons. Bianconi sur les decouvertes.* A la fin du Siecle dernier un jeune savant hollandois, nommè Witsen, qui sans doute est le meme, qui dans la suite fut Bourguemaistre d' Amsterdam, et qui a rendu son nom si celebre; ce jeune homme trouva le moyen d' engager a lui donner pour trois cents ecus quarante des plus raros manuscripts grecs, et latins.

d) Vol. I pag. 764.

pla ad usum Bibliothecae Vindobonensis desumerentur. Honesta oratio erat; nam absque ullo Neapolitanarum Bibliothecarum detrimento Vindobonensis divitiae amplificari poterant. Sed frustra haec tentata sunt, cumque totum id negotium nimis lente procederet, alia post alia impedimenta obiicientibus Monachis, Comes Stella à Secretioribus consiliis Caesari Gaetano Argentio Neapolitani Senatus Principi, voluntatem Caesaris significat, rogatque, ut designatis iamdudum exscriptoribus faciliorem ad Bibliothecas aditum conciliaret. *Vix aliquo ad hanc rem officio per Argentium praestito*, inquit Furlosia; *certatim adeunt ad eum unus et item alter monachorum: ultro codices ipsos afferunt, ad Caesarem dono quo transferrentur; eamque ob causam aut coenobio, aut sibi illud, et illud beneficium Caesar ut largiretur, petunt, Argentiumque sibi patronum, petitionisque sponsorem constituunt. Quid faceret Argentius? Acceptos codices transmisit, munusque, quantum potuit, verbis ornavit, precesque, honestae quae erant, juvit, eoque pacto huc delati codices non sine Riccardi, et ipsius Caesaris admiratione; quamquam non defuerunt, qui manuscriptorum suorum usum prae Augusti genio, Argentiique precibus facerent, obaudirentque; quod tamen ipsis impunè cessit, nulla repreheusione, nulla vi adhibita.* Atque haéc Furlosia. Quinam vero tum Codices Vindobonam sint delati patefacit quodammodo Kollarius in Indiculo, quem exhibet, italice scripto a P.Antonio Maria Cavalcante Cl.R., qui nominatim plurimos, non tamen omnes, et quidem parum accurato iudicio, exponit. Erant illi maximam, et item optimam partem ex Bibliotheca S. Jo-

annis de Carbonaria. Tunc ea sensit divelli sibi viscera sua, et pretiosiores Codices, quibus maxime vigebat, florebatque, e sinu suo extorqueri. Tunc codex ille Dioscoridis fama super aethera notus, charactere partim quadro, partim rotundo, elegantia, et antiquitate nulli secundus, tunc ille item laudatissimus homiliarum in Evangelia in membrana purpurea aureis characteribus ad VII saeculum pertinentibus, tunc Psalterium XI saeculi, Prisciani duo saeculi X, Theodoreti epistolae, et Dorothei opuscula, uterque codex antiquissimus, Euripides cum scholiis, compluresque alii graeci et latini, aut scripturae elegantia, aut antiquitate, aut singularibus aliis notis insignes; tum insuper Seripandiani multi, et ad Concilii Tridentini acta, et politica ejusdem temporis negotia universae Europae, praecipueque hujus Regni Neapolitani, et rem litterariam publicam, privatamque, Hieronymique Seripandi, suorumque amicorum gesta, scriptaque spectantes, quorum plerique et nostrae Bibliothecae catalogum ornare, et hanc anecdotornm collectionem augere potuissent, Neapolitanam Bibliothecam tot ornamentis nudatam deseruere, in Vindobonensem, quam nunc decorant, traducti. Verumtamen in tanta Codicum affluentia remansere etiamnum complures optimae notae, magnique pretii, qui litteratorum ad se oculos studiumque vocarent. Iacobus Ionas Bjoernstaehl, suecus doctissimus, anno 1771 hanc Bibliothecam per duos dies invisit, atque etiam post duas illas direptiones modo a nobis memoratas invenisse se ait optimam manuscriptorum collectio-

nem, quorum fere omnes antiqui classici graeci, et latini (*a*). Sexcentos et eo amplius manuscriptos codices, maximam partem graecos, atque latinos, sub transacti saeculi finem adhuc in ea superesse, scriptum suis in schedulis reliquit Baffius. Vidi egomet quamplurimos anno 1785, quos sedulo, et singillatim inspicere neque vacabat, neque licebat; qui pessime habiti, aut in terram projecti, aut supra mensas dispersi, aut congesti in capsis humi iacentibus, nullo operculo obtectis, undique fatiscentibus, sordibus pulverique prorsus expositi, magnam nihilominus dignitatis speciem praeferebant. Nonnullos interea, ut potui, leviter quidem, sed tamen haud incassum evolvi, ut facile judicare fas esset, multos adhuc optimae notae codices in ea chartarum farragine ad rei litterariae profectum superesse. Verum miserae illi Bibliothecae tot cladibus extenuatae, nova adhuc strages iucubuit. Nam anno 1791 multi codices a quodam fure domestico clam fuerunt asportati, et exteris emtoribus venditi. Atque hoc pacto ea Bibliotheca, quae a primo initio litterariis opibus locupletissima sperare de more poterat divitias suas in dies augeri, eas contra iteratis direptionibus sibi dilabi sensit, et vix modo quarta sui parte superstes ad nos pervenisse existimatur. Quid opus est omnia persequi, et caeterarum Bibliothecarum, quae in nostram invectae sunt, iniqua fata percensere? Satius arbitror praeteritas calamitates oblivione obtegere, et praesentibus bonis, quaecumque ea

(*a*) Lettere t. II Lett. VIII.

sint, quoquo modo liceat, gaudere. Id unice dictum velim, satis ex his omnibus apparere, coercendam nobis admodum fore bene olim conceptam spem, neque aviditati nostrae licuisse praesultanter, tamquam de ingentibus thesauris inventis, praematurius gloriari. Sed non est tamen idcirco, quod de nostris disquisitionibus, quasi de male locatis laboribus, doleamus, perinde atque oleum, et operam perdidisse videremur. Exponam autem paucis, quae primis tantum perscrutationibus in hisce Bibliothecarum reliquiis a nobis inventa sunt, quaeque nunc in lucem proferimus, alia insuper aliis voluminibus reiicientes.

Et primum quidem, quidni exultare gaudio liceat, quum primo veluti occursu nobis sese obtulerit singularis Nicolai Perotti codex, qui collectionem continet fabularum Phaedri, et Avieni, qui plures optimae notae varietates continet, quique plusquam triginta novis Phaedri fabulis rem litterariam ditiorem facit? Noveram ego ex Burmanno (*a*) quoddam hujusmodi exemplar a Iacobo Philippo Dorvillio in Italia repertum, sibique communicatum eo compendio, quod temporis angustiae, et viatoris officia postulabant. Ubi nostrum detexi codicem, atque ejus titulum his verbis expressum ***Nicolai Perotti epitome fabularum Aesopi, Avieni, et Phaedri ad Pirrhum Perottum fratris filium***, perspexique litteras non virescentes, sed jam virides, alias omnino extinctas, linearum ductus in medio paginarum saepe humore corruptos, totumque codicem in locis aliquot deficientem, in aliis nondum perfectum, dubitare non potui, quin hic idem ille foret ipsissimus Pe-

(a) Praef. ad Phaed. edit. 1777.

rotti codex a Dorvillio detectus, in quo omnia eadem signa convenirent. Unus mihi restabat scrupulus, quod scilicet Apostolus Zenus relatum sibi a Dorvillio ait invenisse se hunc Perotti codicem in Ambrosiana Bibliotheca (*a*). Quam vellem! Haberemus utique duo Perottiani codicis exemplaria, quorum alterum alteri subsidium, et supplementum ferret. Verum non ita est, uti narrat Zenus. Omnem mihi scrupulum exemit alter e Custodibus Bibliothecae Ambrosianae Petrus Mazzuchellius, vir supra famam doctus, deque re litteraria benemerentissimus, qui mihi scripto asseveranter testatus est, neque nunc extare, neque unquam in illa Bibliotheca extitisse hujusmodi codicem, immo neque Perotti, neque Phaedri nomen in ullo ex antiquis, recentioribusve catalogis usquam apparere. Aperte igitur res mihi visa, aut Dorvillium in familiari colloquio, aut Zenum, dum longo post tempore scriberet, ***Ambrosianae*** pro ***Farnesianae*** Bibliothecae nomen innocenti errore usurpasse, nostrumque Farnesianum codicem unicum esse Perottianum exemplar, quod eam Phaedri, et Avieni fabularum collectionem cum novis Phaedri fabulis contineat. Perpendi igitur paulo diligentius codicis nostri rationes, cumque et incognitas Phaedri fabulas, et pleraque alia lectu digna in eo deprehenderem, videremque scripturam nonnullis in locis prorsus abolitam, in aliis iamiam abolendam; totum codicem exscribendum existimavi. Ventitabat eo tempore in Bibliothecam vir doctus Dominicanae familiae Lud. Vincentius Cassittus, qui antiquos quosdam liturgicos codi-

(a) Diss. Voss. t. I. pag. 274.

ces pervolutabat; cumque mihi notum esset ipsius fratrem Ioannem Cassittum iamdiù in Phaedri fabulis illustrandis elaborare, legendum illi praebui Perotti codicem. Ex eo ille raptim festinanterque fabulas novas, ut potuit, exscripsit, fratrique illico misit, quas ille, licet minus accurate, neque satis ad veritatem expressae forent, vulgare tamen parum maturo consilio properavit, longèque ab iis, quae in codice scriptae sunt differentes, avidis lectoribus propinavit. Interea cum designatus fuisset Bibliothecae scriptor Cataldus Iannellius iuvenis studiosissimus, atque eo litterarum amore, eaque antiquorum scriptorum eruditione paratus, quae ad istiusmodi lucubrationes desiderantur, id ei negotii dedi, ut totum codicem, qua par est diligentia, describeret, suisque notis, et dissertationibus illustraret: quod ille adeo religiosè fideliterque, adeo luculenter copioseque praestitit, ut nihil ultra curiosioribus, difficilioribusque grammaticis requirendum reliquerit. Existimari enimvero poterat debuisse illas Phaedri novas fabellas, atque Perotti carmina inter anecdota recenseri, atque hisce voluminibus reservari. Sed cum Perottianus ille codex, qui aliqua etiam edita continebat, quae ob varietates plurimas rursus edenda videbantur, adnotationibus, dissertationibusque Iannellii refertus, et illustratus in eam evaderet amplitudinem, ut satis per se constare posset, isque esset, qui prae caeteris omnibus eruditis lectoribus salivam moturus videretur, moras omnes abrupimus, eumque volumine separatim confecto Regiae Typographiae commisimus, ex qua ipse eleganter, et accurate expressus in lucem prodivit. Illud volumen, doctasque Iannellii dissertationes consulat qui omnia quae ad Perotti codicem, ejusque

editionem spectant, nosse desideret. Nos ad ea, quae in primo hoc anecdotorum volumine producuntur, recensenda veniamus.

Longè minoris pretii, sed tamen haud contemnendum Italis litteratis, praecipueque historiae literariae italicae amatoribus, aliud inventum fuit, quod nobis fortuna prodidit. In quodam pluteorum angulo extra voluminum ordinem pulvere obsita apparuere disiecta folia, quae graecam scripturam ostentabant, unoque arrepto, epistolam agnovi Manuelis Chrysolorae Guarino Veronensi datam. Tetigit illico animum; cumque eo tempore Guarini vitam scriberet Carolus Rosminius, ad quem alia quaedam ad Guarinum spectantia, ex nostra Bibliotheca miseram, haud temere speravi hanc epistolam sibi usui futuram. Collegi ergo folia omnia, et non unam tantum, sed quatuor Chrysolorae epistolas deprehendi, quarum duae ad Guarinum, altera ad Leonardum Aretinum, quarta ad Ambrosium Camaldulensem scriptae sunt. Quatuor hae epistolae, quae satis quidem copiosae, imo nimis fortasse prolixae per multas paginas protrahuntur, non erant in nostris catalogis notatae; neque scire ullo pacto licuit, unde, aut quomodo in hanc bibliothecam illatae sint. Nobis profecto tanquam de coelo delapsae visae sunt, et modo ea folia quae prius vagabantur dissipata, et dispersa, in unum compacta subtile quidem, sed justum volumen efficiunt. Affecit animum improvisa voluptate tam inopinatum inventum, quod uno, ut ita dicam, intuitu quatuor mihi inspiciendas Chrysolorae epistolas porrigebat. Praesertim cum id maxime in memoriam revocaverit, vidisse me in Farnesianis codicibus indicatas duas alias ad Coluccium

Salutatum, et illas notissimas de veteris, et novae Romae comparatione. Gloriosum profecto Bibliothecae Neapolitanae videri poterat, tot praeclari illius graecarum artium instauratoris epistolas conservare, quot nusquam alibi invenias, licet per omnes Europae Bibliothecas quaeritando delasseris; nisi forte cum nostris eae valeant comparari, quae in Bibliotheca Lugduno-Batava recensentur, sed adeo stricte obscureque indicatae, ut neque quot illae sint, neque quid contineant comprehendi possit. Mihi certe earum trium tantummodo, quae de comparatione veteris et novae Romae, et alterius ad Pallantem Strozzam de fratris obitu exempla hodiedum in bibliothecis extantia, in notitiam venere. Novimus quidem alteram ad Pallantem scriptam *de mensibus*; sed ea, quod sciam, in nullis modo bibliothecis invenitur.

Magno apud omnes habitae sunt in pretio Chrysolorae litterae, atque etiam iam inde a suis temporibus, et paulo post ejus mortem vehementer a litteratis expetebantur. Eas ab Ambrosio Camaldulensi requirebat Franciscus Barbarus, cui respondet his verbis Ambrosius: *Mitto ad te duas epistolas longiores nostri Chrysolorae, de amicitia alteram ad me* (quam nos hic dabimus), *de mensibus secundam ad Pallantem, scriptas olim manu mea, tertiam ad nostrum Guarinum mittere non curavi, quod hanc ipse secum attulerit, habeatque illam in deliciis, nec dubito quin illam tibi legerit* (*a*). Haec etiam in abiecto illo nostro codice reperitur, adeo ut ex tribus illis ab Ambrosio praecipuo honoris nomine com-

(a) Lib. VI. epis. IV.

mendatis duas hic lectoribus degustandas praebere valeamus. Earum lectione summopere Franciscus delectabatur, eique maximum in modum gratulatur Ambrosius, quod in illius humanitate, doctrina, et sapientia adquiesceret. *Est enim revera*, inquit, *ea ingenii facilitate atque copia, ut solus propemodum post veteres illos, quos ingenti admiratione admiramur, quorumque libris exercemur ad studia humanitatis, palmam doctrinae facile meo judicio referat. Eum ipse tecum maxime admiror, atque in deliciis habeo* (*a*). *Suavissimas* appellat Guarinus Chrysolorae litteras, aitque earum dulcedinem, et voluptatem, aliarum insuper insatiabilem sitim excitare (*b*). Quin idem ille Guarinus post Chrysolorae mortem ipsius epistolas unde unde poterat expiscabatur, ipsarum syllogen concinnabat, easque scriptoris honori, et amicorum solamini, et studiosorum graecae linguae profectui edere satagebat. Nonnullas jam se collegisse scribit ipse ad Poggium florentinum, ejusque operam ad tanti hominis gloriam augendam implorat; cui Poggius respondens, recte fecisse dicit, quod Manuelis epistolas in unum coegerit. Utramque hanc epistolam servat in ditissimo litterariarum hujusmodi cupediarum penu eruditissimus Iacobus Morellius, quarum cum copiam mihi ille fecerit, ut est mihi amicissimus, et in omnes largissimus, ac munificentissimus promus condus, spero rem me facturum non injucundam lectoribus, nec argumento nostro inopportunam, si huc ad paginae calcem

(*a*) Ep. V.
(*b*) Raccolta Calogeriana tom. XXV. pag. 293.

attulero (*a*). Excusas Michaelis Margunii typis, imo et

(a) Guarinus Veronensis Poggio.

Pungor interdum, me stimulante conscientia, quasi negligentiae ac socordiae reus, quod tam diuturno erga te silentio teneor, et quasi amore sopito, relanguescere litteras sinam, quas tibi frequentes, uti primitias templo cuidam offerre deberem; in quo renascentis, et pristini saeculi floret, ac viget eloquentia, virtutisque thesaurus, et nostrorum pridem aequaevorum memoria veluti sanctae quaedam manent reliquiae. Itaque in praesentiarum experrectus has ad te vigilantes dedi litteras, testes in te recordationis meae, ut cognitum faciam, licet manus dormiat, non dormire tamen meam in te charitatem, ac benevolentiam. Eas cum non minus tibi in accipiendo, quam mihi in dando gratas fore sperem, et compertum habeam, pro tua in me dilectione, et amore verissimo, atque vetertimo; non verebor huius facti mercedam abs te postulare, quae danti pariter et accipienti iucunda, et honorifica fiat. Quaenam ea sit, paucis accipe. Quanta debeam Manueli Chrysolorae sapientissimo philosopho, et divino hujus aetatis homini, suavissimo praeceptori meo ipse mihi sum testis; cui praesens saeculum, et veniens obnoxium vehementer est pro suo in disseminandis ad nostrates homines litteris beneficio; quae certo vel languebant, vel exspirabant, nisi Manuelis, sicut Aesculapii alterius opera ad salubritatem vitamque revocatae fuissent. Huius gratia meriti cum Manueli triumphales columnas, et aureas statuas deberet Italia, itaque meruisset; non parva etiam persolvere munera vel immemoris, vel ingrati videatur esse. Itaque si qua via praestetur nominis perpetuitatem et gloriae immortalitatem homini servare, tuo et quorumdam doctorum hominum auxilio tento, et aggredior, et statuas si non aureas, at litterarias illi erigo. Eas ob res, quia fama est, illius immortalitate digni hominis te laudationem olim scripsisse, quem mirifice coluisti, et observasti, ad te confugio, ut ejus mihi copiam facias, et si quam ab alio conscriptam habes. Nam collegi quasdam unum in corpus epistolas, quibus, quantum datur, posteritati vir ipse commendetur: ut si corpus obiit, ipse tamen gratorum hominum officio vivat, legatur, ametur, observetur, et amicorum scripta durando saecula vincat. Vale decus meum. E Ferraria.

Poggius Guarino Veronensi.

Merito accusas, mi Guarine, taciturnitatem nostram, qui tanquam infantes ita rarò inter nos litteris colloquamur. Non hanc amicitiae tanquam obliteratae culpam esse reor, sed senectutis, quam natura ipsa effecit in omnibus rebus tardiorem. Credo tibi usu idem evenire quod mihi, ut libenter otio fruar, po-

saepius excusas Chrysolorae epistolas , ait Nicolaus Com-

tiusque legendi, quam scribendi labore delecter, ut licet senectus soleat esse loquacior, scribendi tamen molestiam effugiat. Nulla oblivio amicorum me tenuit unquam, quos semper animo complector. Quod si cuius in mentem venit, tu primus es, cuius memoria versatur animo, ad quem saepissime etiam inter legendum mentem revoco. Considerabis, ex tot egregiis doctrina et eloquentia viris, qui in illa nostra antiqua Academia versabantur, te solum superesse nobis, quocum, tanquam alterum me, hoc est cum amico loqui possum. Acquiesco autem in tui recordatione, de quo saepius advenientes percunctor, investigans de valetudine tua, deque liberis, rebusque caeteris, quibus meae non sunt mihi cariores. Silentii nostri causam, ut de aetate sileam, praebere videntur nostrae occupationes. Scio tibi multarum rerum curam esse, quae tuum animum distrahunt a scribendo. Mihi quoque praeter privatas res, multa publicè incumbunt, in quibus plurimum temporis impertiendum est. Si quid vero superest otii, id loquendo, scribendoque consumo. Volo enim, si possit, aliquid extare monumenti studiorum meorum, quod mandetur posteritati. Iam enim, ut inquit Varro, sarcinulae colligendae sunt, et de altera vita cogitandum. Hoc idem a te fieri intelligo. Cognovi enim ex tuis litteris te Strabonem facere latinum, quem an absolveris ignoro. Pergratum mihi feceris si non solum quid egeris scribes, sed si miseris quod egisti. Summe quidem desidero id opus legere, quod esse egregium perhibetur. Quod scribis audisse te me in laudationem clarissimi quondam viri, doctissimique Manuelis Chrysolorae nostri scripsisse, vellem id verum esse; sed nil me esse molitum, conjecturam debes sumere meam in te benevolentiam, quae nullo pacto te celasset laudes illius, quem habuisti non solum praeceptorem praestantissimum, sed optimum morum, et vitae magistrum. Laudassem illum, cum defunctus esset Constantiae, ego autem in otio essem; si licuisset per Cincium Romanum ejus discipulum, qui ejus laudandi munus sibi desumpsit. Nè autem ille existimaret me diffidere ingenio suo, tacui, ne viderer eam laudem sibi celebrandi magistri sui funus praeripere. Sed et ipse nihil edidit, et mihi scribendi substulit facultatem. Libentius profecto Manuelis, quam Cardinalis Florentini laudandi tuae officium sumpsissem. Uberior enim dabatur in laudibus suis vagandi campus. Nam et patria complectenda erat, de cuius laudibus infinita pene enarrari possunt, et doctrina singularis, et eius viri eximia in omni genere virtus, tum mores probatissimi, tum castissima vita. Utilitas praeterea quam latinis litteris attulit, quae ante suum adventum mutae, mancae, debiles videbantur. Excitata sunt ejus opera ingenia ad graecarum litterarum studia, quae ma-

nenus Papadopoli (*a*): sed nequaquam mihi probatur Papadopoli testimonium, hominis universim in tota illa historia Gymnasii Patavini in factorum veritate inquirenda parum diligentis, et in ea asserenda non admodum religiosi, atque ab eadem maxime in iis, quae ad Chrysoloram spectant, saepissime aberrantis. Praesertim cum unus ille sit, qui hasce epistolas typis impressas nobis referat, neque ex tot illis scriptoribus fere infinitis, qui de Chrysolorae rebus tractarunt, ullum alium inveniam, qui de illis mentionem faciat. Nos certe neque a Guarino, neque a Margunio, neque ab ullo alio Chrysolorae epistolas editas novimus, praeter tres illas de utriusque Romae comparatione a Lambecio productas. Quas ergo gratulationes, gratique animi significationes a litterarum amatoribus sperare non poterat Bibliotheca Neapolitana, si sex novas in lucem proferret? Erexi animum, et absque mora codices illos perlustrandos sumpsi, in quibus epistolas Chrysolorae indicatas videram. Sed ut fortuna nobis amice arridens,

goum doctrinae lumen nostro saeculo attulerunt. Tum ad eloquentiam commoti sunt permulti, io qua pristinum fere diceodi ornatum recuperatum videmus. Haec tot, tantaque io eum virum congesta amplam laudandi materiam praebuissent. Hoc idem io morte clarissimi viri Antonii Lusci contigit, cuius laudationem cum me scripturum professus essem, et iam scribere coeperam, Cincius quoque se id omnino destinasse dixit, quasi aegre laturus, si quid a me scriberetur. At et ipse tacuit, et me reddidit mutum. Alios tamen postea in funere ornando laudavi, pro quibus scriptae extant orationes. Quod Manuelis epistolas in volumen coegeris recte fecisti, aliquam referens ei gratiam, a quo effectum est, ut in omnes gratissimus esse posses. Habes epistolam longam, sed traxit me tecum loquendi voluptas. Est quoque, ut qui diutius siluerint, soleant esse, cum coeperint, verbosiores. Vale, et mei memor.

(a) Tom. II. lib. II. cap. IV. pag. 163.

quatuor illas neque quaesitas, neque ante cognitas oculis nostris obiiciens animum improvisa voluptate compleverat, ita nunc hominum malitia indignatione commovit, cum eas, quas quaerebamus, quasque iamiam manu tenere putabamus, nobis fraudulenter eripuit. Etenim illas iamdiù vulgatas, cunctisque notas de veteris novaeque Romae comparatione, facile in codice I. C. XX., ubi indicatae sunt, integras invenimus: at duas alias ad Coluccium Salutatum, quae omnino ineditae, et parum cognitae sunt, neque in codice a Baffio signato, neque in ullo alio reperire potuimus. Enumerat Baffius, et ante ipsum notaverat etiam Rutinellius opuscula, quae in eo codice continebantur:

Gorgiae Leontini Helenae encomium.

Manuelis Chrysolorae epistolae duae ad Coluccium Salutatum.

Anonymus de praenomine, et praepositione.

Nunc vero extant tantummodo Gorgiae, et Anonymi opuscula, sed decem, quae inter ea inerant folia, in quibus et Isocratis elogium Helenae, cuius initium ad finem paginae, ubi Gorgianum desinit, legitur, et duae illae Chrysolorae epistolae prorsus evanuere, seu custodum incuria dispersae, seu a furaci manu discissae et direptae. Quod cum pariter in compluribus aliis opusculis alibi observetur, argumento esse poterit, quanta pernicies a Capimontana commoratione, aut ab ea in hanc Bibliothecam translatione nostris codicibus obvenerit. Utinam illae epistolae in alicuius eruditi viri manus deveniant, qui stultae sive negligentiae, sive rapacitatis fructus reipublicae litterariae invidere nolit! Nos id postmodum de illis exponemus,

quod coniectura tantum percipi potest, perpendemusque nunc paulo diligentins quae nobis supersunt, quibus illarum iacturam non sine foenore nobis fortuna compensavit.

Atque ut a prima epistola ad Guarinum, quae prima ante caeteras scripta fuit, exordium sumamus, rem altius repetere necesse est. Minoris quidem momenti ea esse videtur, sed tamen non parum lucis afferre fortasse poterit ad vitae Chrysolorae, ipsinsque Guarini tempora persequenda, quae valde adhuc conturbata et obscura sunt. *Accuratam vitae, rerumque a Chrysolora gestarum*, ait Boernerus, *chronologiam maximopere desideramus* (a). Non est huius loci, neqne ingenii nostri Boerneri votis obsecundare, et desideratam chronologiam perfectam dare. Dies me deficeret, si opiniones omnes de Chrysolorae temporibus, non dicam examinare, et refellere, sed recensere tantum vellem; tam multi sunt et graeci, et itali, et germani, et britanni, qui de Chrysolorae rebus sermonem faciant. Nemo autem inter ipsos exstitit, qui satis accnrate temporum rationem sequeretur, imo nec qui res ab ipso gestas satis diligenter observaret. Nos chronologiam a Boernero desideratam, quantum tantummodo ad rem nostram pertinet, primis lineis designabimus, nihil asserentes quod meris opinionibus, et ingenii argumentationibus concludatur; sed iis tantnmmodo locum dabimus, quae alicui certo validoque monumento innituntur.

Duplicem puto extitisse Chrysolorae ad Occidentis principes legationem, pluresque e Graecia in Italiam itiones et reditiones. Et prima quidem legatio Ioanne Andro-

(a) De doct. hom. gr. in Chrysolora pag. 7 in not.

nici filio imperante, incepta, et completa est. Nam ipse de rebus in Legatione gestis litteris Romae datis, Ioanni imperanti rationem reddit. Sic enim scribit in celebri illa ad Ioannem Imperatorem epistola toties memorata de utriusque Romae comparatione; Αριστε Βασιλευ, α μεν εδει δια πολλων προς το σον κρατος ανενεγκειν εν αλλοις γεγραφα, α και αυτα εικος αφιξεσθαι μετα των παροντων· μαλλον δε πολλα μεν προτερον εντευθεν γεγραφα, ουκ ολιγα δε ευθυς προ τουτων· εδοξε δε ομως και ταυτα προσθειναι ηδονης ου χρειας ενεκεν, ην ου μικραν οιδα καρπουμενος εκ του τους εμους λογους προς την σην θειοτητα αναφερειν. *De quibus prolixius ad te referendum erat, optime Imperator, ea aliis litteris perscripsi, quas una cum hisce ad te perlatum iri puto; quin imo cum multa quidem iam ante hinc ad te scripserim, et non pauca etiam nuperrimis litteris; placuit tamen haec subiungere voluptatis, non utilitatis gratia, quam non exiguam me percipere sentio, dum mea scripta sacrae tuae Maiestati affero.* Ex quibus verbis manifeste constat Chrysoloram multa, et iam ante toto legationis tempore, et nuperrimis litteris, tum etiam cum hanc scribebat, de legationis negotio ad Ioannem Imperatorem scripta misisse. At Ioannes Imperator anno 1391 vita excessisse dicitur ab iis, qui longius eam protendunt: ante illum igitur annum legatione sua Chrysoloram functum esse dicendum est. Tum in ipsa illa epistola se ante biennium Londini cum comitatu suo degisse, ibique Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli festo interfuisse narrat, cum ait: Μεμνημαι δε της εν Λονδινιω της Βρεταννικης επ' αυτης της εξω θαλαττης, και ωκεανου, δευτερον ετος τουτι εμου, και των συν εμοι παροντων, και θεωμενων, γενομενης αυτοις πομπης και πανηγυρεως παρα των εκει.

Memoria hic repeto, pompam, et solemne festum Londini in Britannia ipsius externi maris, Oceanique insula, ante biennium, me, ac comitatu meo praesente, et spectante, ab eius loci incolis hisce Apostolis celebrabatur. Ergo certe ab anno 1388, aut saltem ab initio 89 Byzantio ad Legationem obeundam discessisse necesse fuit. Quae cum ita sint, argumentari licet, quo tempore prima Chrysolorae ad Guarinum epistola scripta sit. Atque illud etiam fortasse definiri quodammodo poterit, quod adhuc incertis auctorum testimoniis, et obscuris rationibus involutum est, quo scilicet tempore Guarinus ad graecas disciplinas adipiscendas in Graeciam profectus fuerit. Dominicus Giorgi, cl. Rom. Praesul anno 1741 nonnulla monumenta quovis aere pretiosiora ad Chrysolorae memoriam illustrandam vulgavit, atque in his aliquot Guarini epistolas, quarum prima ea est, cui nostrae Chrysolorae litterae respondent (*a*). Ast ea epistola licet non anni, sed diei tantum notam, scilicet Non. Octobris, in fine ferat, tamen anno 1391 scripta fuisse putanda est. Sic enim in ea scribit. *Ad te semper aspicio, ad te oculos, ad te animam, cogitationemque converto. Et ut te si non aspicere, saltem audire liceat, indagine cuncta perlustro, si quam aut orationem, aut ullam commentationem edideris, unde pro magna eruditione tua, iucundissima lectionis amoenitate, et fructu animus alatur, vegetetur, exornetur, expleatur: sicuti nuper utriusque Romae laudationem hinc primariae parentis, hinc filiae, in quo adeo eloquenti, magnifico, et generoso*

(a) Raccolta Caloger. tom. XXV.

dicendi genere aurea sese attollit oratio. Si ergo Guarinus eam epistolam dabat, cum paulo ante *nuper* Chrysoloras suam scripserat de utriusque Romae Comparatione, id Non. Octobris anni 1391. accidisse necesse est; cum ea Chrysolorae epistola, ut antea a nobis satis firme statutum est, anno 1391. scripta fuerit. At Guarinus Byzantii Chrysoloram studiorum suorum praeceptorem, et optimum vitae magistrum habuisse, tum scriptores omnes aperte declarant, tum ipse in eadem epistola testis est. *Cui enim*, inquit, *plusquam tibi debeam, habeo neminem, qui et studiorum quidquid est meorum praeceptor, et optimus vitae magister extitisti.* Atque id quidem plurimi scriptores asserunt per quinquennium sibi obtigisse. Debuit ergo Guarinus ante annum 1389. Byzantium adire, et quidem quinquennio, seu tanto tempore ante Chrysolorae profectionem eo pervenire, ut illius benevolentiam et magisterium sibi comparare, eiusdemque praeceptis, institutionibusque ad graecas disciplinas obtinendas, et ad mores, vitaeque rationes efformandas mature perfrui valeret. Quod certè ad annum 1384 aut 85 referendum esse satis probabili ratione censeri posse videtur. Quot vero annos tunc temporis Guarinus enumeraret non satis certa aliqua ratione firmari potest, cum eius natalis annus nullo veteri testimonio significetur, tantumque constet anno 1460 obiisse, et a compluribus ejus aetatis scriptoribus nonagenarium appellari. Quod quidem non satis magni momenti est ad eius natalem anno 1370 statuendum, cum nonagenarium hominem facilè vocemus, qui uno, aut duobus, aut tribus, et eo etiam amplius annis nonagenario maior sit. Atque id profecto de Guarino facile dici

potest. Nam cum Ioannes Baptista Guarinus eius filius de ipso scribat, bis nona lustra iam peregisse:

Quam Superis tua casta fides, moresque placebant,
Lustra tibi vitae nona bis acta probant;

Ianus Pannonius, qui eius discipulus amantissimus, et in eiusdem rebus exquirendis explicandisque diligentissimus fuit, eundem nobis repraesentat tanquam bis nona lustra praetergressum, et bis dena tangentem:

Ut iam bis deni tangens confinia lustri.

Unde dici verissime potuit Guarinum post lustra bis nona iam ante peracta, bis dena pertingere, aut quod idem est, non strictim ad nonaginta, sed etiam ad aliquot ultra annos vitam protulisse: ideoque non ad annum 1370, sed ad anteriores aliquot annos ortum suum esse referendum. Quidni ergo dicamus, Guarinum uno aut pluribus etiam annis ante MCCCLXX. natum, cum ingenii celeritate, maturitate iudicii, litterarum peritia, et gravitate morum aetatem superaret, ut Ludovicus Carbo, (*a*) et alii coaevi scriptores testantur, potuisse ipsum *adolescentem*, sive etiam *adolescentulum*, uti eum id temporis appellant Panvinius, et Angelus Decembrius (*b*), cum circa annum XV. vel XVI. versaretur, anno 1384, aut 85 Byzantium proficisci, ibique ex *Manuele Chrysolora* graeco summoque philosopho litteras graecas percipere? Neque his refragatur, quod multi aiunt, ipsum per quinquennium in Graecia commoratum sub Manuele Chrysolora litteris graecis vacasse. Si enim Byzantium adiit

(a) In orat. funeb.
(b) Politiae liter. lib. VII.

anno 1384, potuit per totos quinque integros annos ibidem ante Chrysolorae discessum commorari, eiusque praeceptis, et magisterio frui. Verum etiamsi anno 1385 ad ipsum accesserit, vere tamen de eo dici potuit, per quinquennium in ea civitate commoratum sub Manuele Chrysolora litteris graecis vacasse: cum illud quinquennium non adeo ad vivum resecandum sit, ut totos integros quinque annos requirat, neque possit quodammodo inceptum pro completo reputari. Unde etiamsi Guarinus anno 1385 Byzantium adierit, et ineunte 1389 ad Chrysolorae discessum in Italiam regressus fuerit, potuit eius graecae peregrinationi quinquennium adnumerari. Atque hoc pacto, cum Chrysoloras ex sua legatione anno 1391 in Italiam devenerit, Guarinus qui toto eo tempore nihil ad illum litterarum dederat, non sine pudore *suae scribendi tarditatis*, primam epistolam ei misit, cui cum benignè admodum, humaniterque Chrysoloras respondisset, hac praeceptoris benignitate animatus, aliam rursus scripsit epistolam, quae ea est, quam Dominicus Giorgius vulgavit, quaeque a nobis hactenus saepius testis adhibita est. Hisce ergo Guarini litteris prima Chrysolorae epistola respondet, quam nos proferimus, quaeque idcirco XXV Ianuarii ad annum 1392 referenda videtur. Neque est cur obiicias contrarium Giorgii iudicium, qui Guarini epistolam ab ipso vulgatam scriptam fuisse dicit die IV. Octobris anno 1408, cum responderet Chrysolorae litteris de utriusque Romae comparatione (*a*). Nam cum Giorgius id tantum innuat, neque ullis testibus, aut ul-

(a) Racc. Calog. to. XXV.

lis tabulis firmet, neque rationibus ullis fulciat, non arbitror maiorem fidem meris Giorgii verbis, quam argumentis ex Chrysolorae epistola modo petitis a uobis esse adhibendam. Praesertim cum animadvertam, non satis accuratè, ne dicam nimis oscitanter ab ipso perpensam Guarini epistolam, cum eam datam putet die IV Octobris, et responsionem esse dicat ad Chrysolorae epistolam de utriusque Romae comparatione. Quod quidem adeo longe abest a vero, ut ea epistola aperte signata sit Non. id est VII, non vero IV Octobris, et nullatenus dici queat responsio ad Chrysolorae epistolam, cum haec ad Ioannem Imperatorem, non ad Guarinum data fuerit. Atque haec propterea Giorgii indiligentia omnem prorsus ei fidem adimere debet in eo definiendo, quod multo intentiores disquisitiones desiderat.

Quare mirandum nobis est, quod adeo properanter absque ulla haesitatione et Tiraboschius, *(a)* et Rosminius *(b)* eam Giorgii opinionem secuti siut, et Guarini epistolam anno 1408. datam putent. Haec enim nullatenus stare potest. Nam Chrysolorae in Angliam legatio, uti ait Humphredus Hodius, *(c)* regnante Riccardo II. peracta est: et cum Riccardus anno 1400 defunctus fuerit, ante illum annum obitam fuisse necesse est; neque potuit proinde haec Chrysolorae epistola ad annum octavum sequentis saeculi referri. Maioris mihi ponderis esse videbantur (quod non video ab hisce, aut aliis scriptoribus

(a) Ist. tom. VI. par. II. Lib. III. C. II.

(b) Vita di Guar. t. III. pag. 182.

(c) De graecis illust. cap. 2.

observatum) longi illi sermones, quibus Guarinus Chrysolorae merita in italicam nationem, imo vero in omnem litteratorum ordinem extollit, eumque graecarum litterarum ad nostrates reportandarum principem auctoremque laudat. *Magnopere laetamur*, ait, *quam maximas gratias non vilissimae Urbi, sed augustae dignitatis civitati debeamus, tibi in primis qui altissimis dudum demersos tenebris Italos, admota demum veluti solis lampade illuminasti. Hoc dicit Italia, hoc cunctarum artium fatentur litterae, hoc clara testantur voce. Et sicut nonnulla pomorum genera Malliana, et Appiana alia, Decimana et Luculliana alia cognominantur, sic etiam novella haec litterarum, et optimarum artium plantaria Chrysolorina appellentur.* Quae omnia graecas in Italia Chrysolorae institutiones spectare videntur, tantumque saeculo XV dici potuisse, cum ille Scholas Venetiis, Florentiae, et alibi habuerit. Verum haec tamen satis rectè dici tum potuisse videntur, cum Chrysoloras iam totam Italiam peragrasset, longoque tempore et Romae, et in aliis Italiae urbibus fuisset commoratus, atque ipse, quacumque incederet, hellenismi igniculos iniiceret, et graecae linguae, graecarumque artium amorem inspiraret. Tum Guarini verbis attente perpensis, multoque magis perspecta Manuelis responsione, ea ad ipsius Guarini institutiones, non minus quam ad Chrysolorae scholas referri valent, atque uberrimi illi fructus litterarum, et a Chrysolora, tanquam ab eo, qui semina Byzantii praestiterit, et a Guarino, qui illa terrae commiserit, et excoluerit, erunt repetendi. Iure ergo tenere possumus, quod ab initio positum est, eam Guarini epistolam Non.

Octobris anno 1391 paulo post Chrysolorae legationem datam fuisse. Quod si legationem hanc non quidem ad annum 1389, sed ad 1393 cum Tiraboschio, aliisque referre velis, in alios impinges scopulos, ex quibus haud facilè sit resilire. Nam si eo anno legationem aggreditur Chrysoloras, et peractis legationis peregrinationibus Romam devehitur, ibique litteras ad Imperatorem scribit, qui fieri potest, ut eae ad Ioannem Imperatorem tot ante annis defunctum datae essent? Tum hic legationis annus quo pacto componi potest cum iis quae supra diximus ab ipso Tiraboschio, et aliis existimari, datam nempe esse Guarini epistolam anno 1408? Si enim anno 1393 Chrysolorae legatio obita fuit, duobus post annis litteras Non. Octobris signatas a Guarino accipere debuit Chrysoloras, ac proinde eae litterae ad annum 1395, non ad octavum sequentis saeculi referri possunt. Quidquod si totum illud triennium in legationibus, et in Romana commoratione consumitur, quomodo illa Venetiarum schola, Byzantium regressio, eaque omnia quae hisce annis transacta fuisse dicemus, cohaerere recte valebunt? Nihilum ergo contra stabilita tempora Chrysolorae legationis, mutuarumque inter ipsum et Guarinum epistolarum movere nos debent Giorgii, aliorumque, quantumvis gravissimorum scriptorum opiniones: statumque manet, quod satis firmis argumentis positum est, neque ulla probabili ratione movetur, primam Chrysolorae legationem tempore Ioannis Graeci Imperatoris, et Riccardi II. Angliae Regis anno 1391 perfectam fuisse, atque illo anno primas inter Guarinum, et Chrysoloram epistolas intercessisse, quarum altera ea est Guarini, quam Dominicus Giorgius edidit, eique respon-

det Chrysoloriana, quam hic nos modo producimus. Quid postea de Chrysolora actum sit, Romae-ne et in Italia remanserit, an Byzantium remearit, a doctis eius vitae scriptoribus in utramque partem disputatur. Porro aliquanto tum tempore Romae restitisse haec ipsa ad Guarinum epistola manifeste testatur, cum data sit Romae XXV Ianuarii plurimis post eius adventum mensibus, dum ille fortasse responsum a Byzantina curia expectaret, atque novi post Ioannis obitum Imperatoris voluntatem nosse, et mandata excipere vellet. Sed tamen rediisse postea Byzantium, non video cur in dubium revocetur. Quidni enim reddiderit sese patriae, familiae, affinibus, amicis, Imperatori, et optimatibus constantinopolitanis, qui omnes illum desiderabant, et extremis mandati sibi muneris officiis satisfecerit? Id enimvero procul dubio spectant tot illae Andreae Iuliani laudes, quibus fidem et integritatem commendat, qua pecuniam ex Europa exactam Imperatori suo designavit, cum Principes tum belli necessitate adducti, tum maxima dignitate, sapientia, ac auctoritate hominis moti, magnam auri partem contulerunt. *Qua in legatione*, inquit, *Manuelis sapientiam atque fidem admirati, maximis saepe praemiis eum ipsum adducere conati sunt, ut suis in rebus gerendis, consiliisque capiendis, tanti viri prudentia, dulcissimaque hominis familiaritate uterentur. Sed ut ab omni libidine corpus, ita ab omni lucri suspicione animum semper aversum habuit. . . . . . . ita illum neque auri sitis, neque gloriae, et honoris cupiditas, neque ambitio ulla ab instituto opere retardavit. Non refertam clarissimis viris, atque optimis artibus Italiam ad quietem*

elegit, non imminenti denique bello oblatum otium anteposuit (*a*). Quae omnia Iuliani verba, ad hanc tantummodo legationem referri possunt, qua, ut ait Humphredus Hodius, (*b*) emissus ab Imperatore Ioanne Paleologo seniore, qui obiit anno 1391, ut a Regibus Europae contra Turcas pecuniae subsidium imploraret, hosque ad bellum suscipiendum inflammaret, postquam Regem Angliae Riccardum II., aliosque supplex, neque re prorsus infecta, adiisset, in Italiam concessit. Ex Italia ergo Byzantium rediit anno 1392, ut pecuniam collectam Imperatori suo designaret, qui ea imminente iam bello maximè indigebat. Verum cum paulo post anno 1393, bello non tantum imminente, sed acriter urgente, Turcarum copiae totam Graeciam premerent, et, ut refert Leunclavius, (*c*) Bajazetus Costantinopolim obsideret, ut obsidionis pericula, molestiasque effugeret, deliciisque Italiae, Italorumque officiis, quae sibi gratissima extiterant, quiete frueretur, in Italiam se recepit, et Venetiis domicilium, et scholam posuit. Atque hoc pacto scriptorum testimonia cohaerent, qui eum et anno 1393, et patria obsessa in Italiam graecas litteras intulisse, et eas Venetiis primum, deinde Florentiae docuisse saepe declarant. Leonardus Aretinus qui eius auditor fuit, *Retulit* (*d*), inquit, *graecam disciplinam ad nos Chrysoloras Byzantinus vir domi nobilis, ac litterarum graecarum peritissimus. Hic, obsessa a Turcis patria*,

---

(a) Andr. Iuliani pro Man. Chrys. Or. fu., Racc. Calog. t. 25 p. 330.
(b) Loc. cit.
(c) Anna'. Sult. t. V.
(d) De reb. suo temp. gestis.

mari Venetias primo, mox audita eius fama invitatus benignè, ac postulatus, et salario publico affectus, Florentiam venit, sui copiam iuvenibus exhibiturus. Iannotius Manettus in oratione funeris clarissimi poetae Leonardi Aretini a Laurentio Mehus edita (*a*) sic ait: *Sive fortuna, sive potius divina providentia factum est, ut vir quidam Chrysoloras Byzantius domi nobilis, obsessam a Turcis patriam suam cernens, e media prope Graecia se in Italiam primo, deinde in Etruriam conferret, atque faustis ominibus Florentiam applicaret.* Bonincontrius item: *Hic patria a Turcis obsessa Venetiis salario illas* (graecas litteras) *edocebat, et deinde magno pretio a Florentiui s conductus.* Iacobus Philippus Forestus Bergomas: *Emmanuel Chrysoloras*, inquit, *natione graecus, patria Byzantinus, vir domi nobilis, sed omni doctrina, et virtute nobilior, atque praeclarior, iisdem temporibus Constantinopolitana Urbe a Turcis durissime vexata et obsessa, ex ea profugiens Venetias venit, et tanquam eruditissimus doctor litteras graecas ibidem docere caepit* (*b*) . Eadem fere scripta reliquere complures eius temporis scriptores; qui a Byzantii obsidione Chrysolorae adventum in Italiam derivant, et Venetiis primam Chrysolorae Scholam, primumque litterarum graecarum hospitium designant. Eodem confugerat Demetrius Cydones, seu ut frequentius appellatur Cydonius, qui pariter Italorum mores et urbes noverat, quique diu Mediolani degerat, ibique, ut refert Volatera-

(a) Epist. Leon. Aret. t. I.
(b) Com. Urb. lib. XV.

nus, (*a*) latinis litteris, et theologicis studiis operam dedit, quantumque in eis profecerit, illa latina opera ab ipso in Graecum conversa, quae recenset Fabricius (*b*), et alia insuper Fabricio ignota, et a posterioribus bibliographis recensita, satis apertè declarant. Tiraboschius eum putat cum Chrysolora legationis comitem in Italiam venisse (*c*). Verum ex his omnibus, quae hactenus dicta sunt, satis arbitror apparere Chrysolorae legationem longè ante id tempus fuisse absolutam, neque facile adduci possum, ut credam, Demetrium aetate grandaevum, atque eius auctoritatis, et vitae, morumque gravitatis virum, tam longinquae et molestae, ao periculosae legationis comitatui fuisse destinatum. Mihi potius existimandum videtur, et Demetrium, et Chrysoloram urgentis obsidionis, malorumque belli timore perterritos, amoenitatem, quietemque Italiae, quam uterque degustaverat, desiderasse, et Venetias petiisse. Ut ut fuerit, Demetrius Cydonius, et Manuel Chrysoloras nequaquam eo tempore in longinquas legationes abierunt, sed Venetiis commorabantur, ibique sive pretio conducti, sive sponte, gratisque, aut uterque, aut saltem Chrysoloras, qui iuventute vigebat, aptiorque proinde erat ad eas exercitationes, graecas disciplinas earum studiosis tradebat. Hac scilicet fama permoti, uti late Laurentius Mehus ea, qua solet omnia, eruditionis copia demonstrat, duo Florentini Robertus Rossi, et Iacobus Angeli Venetias petierunt, ut eorum magisterio, et do-

(a) Chronic. supl.
(b) Bibl. graec. t. X. p. 389.
(c) Ist. t. VI. part. II. p. 114.

ctrina fruerentur. Verum cum pacatis aliquantulum Graeciae motibus, graeci illi doctores Byzantium repeterent, Robertus Rossi Florentiam remeavit, Iacobus vero Angeli voluit nascentes studiorum suorum fructus ad maturitatem excolere, et Magistros suos in Graeciam comitatus est. Quo tempore Chrysolorae fama pervulgata, Roberti sermonibus, et Iacobi litteris excitati Florentini cives Chrysolorae disciplinae desiderio flagrabant, et Coluccius Salutatus, Pallas Strozzius, Nicolaus Niccolius, Antonius Corbinellius, aliique primates Senatum Florentinum permoverunt, ut Manuelem Chrysoloram publico stipendio ad graecarum litterarum Scholam Florentiae instituendam invitaret. Haec omnia manifeste constant ex litteris a Coluccio Salutato datis Byzantium ad Demetrium Cydonium, ad Iacobum Angeli, et ad Manuelem Chrysoloram, quae a Laurentio Mehus in vita Ambrosii Camaldulensis (a) referuntur. Ad eos scribit Coluccius iam Byzantium advectos, imo cum iam inde a Iacobo litteras acceperit, quibus illorum nomine salutem ipsi mittebat. Ad Demetrium sic ait. *Gratulor, et exulto . . . quod inter deperdita penes graecos ferme studia litterarum, cunctorum occupatis mentibus ambitione, voluptatibus, et avaritia, te sentiam veluti lumen in tenebris emersisse, quodque te Deus in Latium attulerit, cum Venetias tu, et Manuel venistis, ubi cum primum Robertum amicabiliter susceperis, fecerisque doceri, multorum animos ad linguam Helladum accendisti, ut iam videre videram multos fore graecarum litterarum, post paucorum annorum curri-*

(a) P. 356. et seq.

cula, non tepide studiosos..... Iacobum autem meum, quem amor, affectioque discendi ad te usque perduxit, recipias in filium precor. In calce vero eiusdem epistolae subiungit. *Post haec feci, quod noster Manuel hic honorabiliter est electus. Ipsum horteris, ut veniat, honorem et gloriam adepturus.* Ad Chrysoloram haec inter alia scribit. *Cum Iacobus meus de te, et doctrina tua tam multa scribat, cui rei litterae tuae taliter adstipulantur, quod per semet suo testimonio fidem faciant, te tantum divinae gratiae recepisse, quantum ille, licet exundet, non potest amplecti; nimis indignum videtur, quod qui tot donis effulget, et clarus est, ab homine non colatur. Quid autem tecum loquar? Multa dicere prohibent angustiae temporis, quod tanta Respublica vindicat, quodque rei familiaris cura, quae, sepulta Kalendis mensis huius coniuge, super me tota recubuit, aufert. Pauca vero dictare, cum tanto maris tractu, tamque vastis dirimamur terrarum excursibus, quod vix bis in anno possimus nos litteris visitare, non videbatur omnino congruere. Verum quia spero per Dei gratiam te videre...... Nunc autem scito me tibi, quod in hac urbe regia graecas doceas litteras, salario publico procurasse, nec pigebit, ut arbitror, mutasse coelum.* Ad Iacobum Angeli sic incipit: *Postquam Dei, et dominorum nostrorum gratia factum est, quod vir optimus Chrysoloras docendis litteris graecis Florentiam est ascitus, sicuti per meas litteras recepisti..........* Ex hisce Coluccii litteris abunde patent, quae a nobis asserta sunt, Demetrium scilicet, et Manuelem ad Turcarum obsidionem declinan-

dam, non ad legationem obeundam Venetias venisse, ibique graecas litteras aut publice, aut privatim studiosis adolescentibus tradidisse; eo se ad graecas disciplinas comparandas contulisse Robertum Rossi; cum eis Byzantii Iacobum Angeli fuisse versatum, indeque de eis ad Coluccium scripsisse; atque eo tempore, quo hae litterae datae sunt, a Florentino Senatu publico stipendio invitatum Chrysoloram ad Scholam graecarum artium Florentiae instituendam, quod quidem anno 1396 contigisse ex iisdem litteris multis rationibus probat Mehus. Verum id ipsum evidentius, indubitateque patet ex Senatus Florentini decreto a Dominico Giorgio edito (*a*), quod datum est die XXVIII. Martii Ind. IIII anno MCCCLXXXXVI. Atque ad hunc annum, et ad id negotium conficiendum referendas censeo duas illas Chrysolorae epistolas ad Coluccium, quas ex nostro codice discerptas dolemus, primam, quae hisce Coluccii litteris responderet, alteram paulo ante quam ipse Florentiam veniret, cum, ut ipse Coluccius Chrysolorae in hac prima epistola scribit, vix bis in anno in tanto maris, et terrae intervallo se possent litteris invisere. Sed quid refert meris ludere coniecturis, cum nihil certi de illis epistolis dicere valeamus? Earum exempla fortasse sunt illae *Manuelis Chrysolorae epistolae ad Coluccium*, quae in Bibliotheca Lugduno-Batava ex legato Bonaventurae Vulcanii extare dicuntur (*b*). Videant docti illi viri penes quos sunt, num operae pretium existimari oporteat eas in lucem edere, et Chrysolorianae

(a) Racc. Cal. to. 25.
(b) Bibliot. Lugduno-Bat. p. 349.

eloquentiae tot graecorum et latinorum laudibus commendatae monumenta multiplicare. Extremo igitur anno 1396 ad Florentinorum placitum venit Chrysoloras, ut ibi *pro termino decem annorum* litteras graecas doceret, uti magno cum omnium plausu, insignique litterarum emolumento Florentinorum, et exterorum votis obsecundavit. Verum cum anno 1400 Emmanuel Palaeologus, qui Ioanni in imperio successerat, Mediolanum venisset, Chrysoloram ad se vocavit, et, uti Leonardus Aretinus narrat, *Imperatore Constantinopolitano in Italiam advecto, revocanteque ad se Chrysoloram, abiit ille Florentia, et Mediolanum ad Imperatorem suum se contulit* (*a*). Vix eum agnovit Mediolanensium dux Io. Galeatius Vicecomes, morum suavitate et consuetudiue erudita captus, operam omnem posuit, ut ipsum apud se retineret; et Chrysoloras sive ut Ducis Galeatii, et Imperatoris sui Emmanuelis desiderio obsequeretur, sive etiam quod tricis, et vexationibus offensus Nicolai Niccolii, qui litteratos et amicitiae officiis fovebat, et eosdem invidiae calumniis insectabatur, non admodum Florentinam scholam desideraret, facile Ducis votis obsecundavit, qui uti Corius refert (*b*), eum in academia ticinensi professorem graecarum litterarum adlegit. Non proinde tamen credendum esse arbitror Chrysoloram Ticini graecas litteras, aut ullam artem unqnam professum fuisse. Nam neque toto eo tempore Ticini scholae habebantur, cum paulò ante Placentiam translatae fuissent; neque usquam in professorum syllabis,

(a) De rebus suo tempore gestis.
(b) Storia di Milano.

aut eo, aut ullo alio tempore Chrysolorae nomen apparet; neque ulla unquam in ea Academia ante annum 1470 graecarum litterarum extitit Schola. Sed potius puto Mediolani eum graecas litteras docuisse, recteque tamen a Corio dici in Academia ticinensi professorem adlectum, cum persaepe Mediolanenses professores stipendiis ticinensibus sustentarentur. Mediolani vero graecas litteras tradidisse testes locupletissimos appellare possumus, praeter complures alios, Franciscum Philelphum (*a*), et Ubertum Decembrium, qui eius discipulus ibi fuit, atque Platonis libros a Manuele iussu Io. Galeatii latine conversos, ipso Manuele iubente, et approbante in puriorem latinitatem redegit. Nec plane diuturnum Mediolani fuit Chrysolorae Magisterium, sed post Ioannis Galeatii obitum, sive sponte sua, sive Imperatoris sui iussu Venetias remigrasse videtur: et vero, ut ex testimonio Thomae de Senis, et Flaminii Cornelii memorat P.de Augustiniis (*b*), Venetiis mense decembri anni 1404 epistolam dedit ad Innocentium VII Pontificem, qua eum precabatur, ut approbare vellet regulam tertii ordinis S. Dominici tantummodo pro Veneto dominio, Thraciaeque littoribus. Quid vero post eum annum de Chrysolora actum sit, non adeo facile est coniectare. Philippus Maria Renazzi in Romani gymnasii historia satis ad rem apposite opinatur Chrysoloram ab Innocentio VII ad graecam Scholam Romae instituendam accitum fuisse, eumque spectare, quod in Apostolicis litteris de illius Gymnasii instauratione datis Kal. sept. anni 1406

(a) Ep. ad Laur. Med. LXXXVII.
(b) Degli Scrit. Venez. tom. 2. p. 36.

illo Pontifice scriptum legimus. *Erit denique*, inquit, *sic enim providimus, ut nihil nostro desit studio, qui litteras graecas, omnesque eius linguae auctores perfectissime doceat* (a). Quis enim eo tempore perfectius quam Chrysoloras haec omnia praestare poterat? Quod si ita est, uti revera esse iure merito autumare possumus, si Chrysoloras eo anno professor romanus creatus est, quo spectant verba illa Leonardi Aretini ad Petrum Mianum Venetum exeunte anno 1407, seu primis diebus 1408 Senis scripta? *Vix tamen est*, inquit, *ut non invideam felicitati tuae, qui Manuelem Chrysoloram virum doctissimum, atque optimum tandiu Venetiis distineas, eiusque adventum in Curiam retardes. Non enim, ut alias saepius, ita nunc cum oratoribus vestris ut veniret expectantes, non semel frustrata spes est, et fefellit opinio; quem rogo ut meo nomine salvere iubeas, et volumen Augustini de Civitate Dei, quod apud te illius nomine deposueram, eidem tradito, faciasque me certiorem an aliquos libros graecos mihi deferat. Hodie decretum est ut Pontifex Lucam se contulisse debeat ante finem mensis Ianuarii* (b). Quae Leonardi verba manifesto indicant Chrysoloram diu Venetiis detentum, Romam non attigisse, neque magisterium ab Innocentio delatum obiisse. Ego vero sic opinor: Chrysoloras quidem ab Innocentio VII graecarum litterarum professor in Romano Gymnasio fuit designatus; nunquam tamen eo munere functus est, cum Innocentius paulo post mortem obie-

(a) Tom. I. p. 111. app. de docum. 273.
(b) Lib. II. ep. XV.

rit, et disciplinarum studium, quod apud homines excitaverat., eo defuncto, statim evanuerit, ut Theodoricus Niemus (a), et alii scriptores eius temporis testantur. Gregorius vero, qui eodem anno creatus fuit Pontifex, in extrema illa Schismatis, et Romanarum, Ecclesiasticarumque rerum perturbatione, nunquam ad scholasticas cogitationes applicare animum valuit, et tamen Chrysolorae gravissimae auctoritatis viri, graeco Imperatori, et aliis principibus gratiosi, opera uti voluit, eumque non ad grammaticales, aut rethoricas lectiones, sed ad politicas, ecclesiasticasque legationes adhibuit, atque Constantinopolim misit. Silvester Sguropulus narrat in Historia Concilii Florentini (b), postremis Patriarchae Matthaei temporibus, Chrysoloram ab Italia reversum, eidem Patriarchae litteras cum aliquibus mandatis ab illo, qui tum sedebat Papa, detulisse, quibus responsum adornavit Patriarcha scriptis, quae una cum litteris Papae in sacro Ecclesiae codice inserta extant. Quidni ergo dicamus Gregorium vix ad pontificium thronum evectum, Chrysolorae pontificio servitio adscripti opera uti voluisse, ipsumque non ad Scholam Romae aperiendam, sed ad Legationem Byzantii obeundam applicasse, atque eumdem non tam Rhethorem, quam legatum Romanum habere voluisse? Neque iis obstat, quod ea Sguropulus ad postrema Matthaei tempora referat; haec enim non adeo stricte, presseque sunt computanda, ut extremis tantum horis, aut diebus, et non etiam aliquot vitae annis applicentur. Et cum Matthaeus, qui per

(a) Hist. de Schism. t. II. c. 39.
(b) Lect. II. c. VII.

tredecim annos ad Ecclesiae illius clavum sedit, secundum Lambecii opinionem anno 1408 mortem obierit, imo etiamsi anno 1410 id contigerit, uti Bandurius opinatur, potuit ad exactam veritatis regulam dici, Chrysoloram anno 1407 Byzantium reversum *ad postrema Matthaei tempora venisse*. Atque id optimè cum Leonardi verbis cohaeret. Nam cum Constantinopoli in Italiam rediens Venetias appulisset, ibique ab amicis nimium detineretur, rectè scribit Leonardus, eum et a Venetis Oratoribus apud Pontificem degentibus, et a Curia Pontificia expectari, petitque a Miano, ut Augustini librum de Civitate Dei, quod apud ipsum Chrysolorae nomine deposuerat, eidem tradat, nuntietque an aliquos libros graecos Chrysoloras ipsi deferret.

Hac pontificia legatione functus Chrysoloras aliam iniit ab Imperatore suo ad Reges occidentales. Egregium huius monumentum nobis exhibet Montfauconius in Paleographia graeca allatum. *In Sacrario*, inquit, *S. Dionysii in Francia codex saeculo XI scriptus operum S. Dionysii, in cuius fine legitur recentiore manu.* *Το παρον βιβλιον απεσαλε παρα του υψηλοτατου βασιλεως, και αυτοκρατορος* Ρωμαιων *κυρου* Μανουηλ *του* Παλαιολογου *εις το μοναστηριον του αγιου* Διονυσιου *το εν* Παρυσιω *της* Φραγγιας *η* Γαλατιας, *απο της* Κωνσταντινουπολεως *δι εμου* Μανουηλ *του* Χρυσολωρα, *πεμφθεντος παρα του ειρημενου βασιλεως ετει απο κτισεως κοσμου εξακοσιοστω ενενηκοστω εξ και δεκατω, απο σαρκωσεως δε του κυριου χιλιοστω τετρακοσιοστω ογδοω οστις ειρημενος βασιλευς ηλθε προτερον εις το* Παρυσιον *προ ετων τεσσαρων*. Idest: *Hic liber missus est a celsissimo Imperatore Romanorum Domino Manuele Palaeologo in Monasterium S. Dio-*

nysii Parisiis in Francia sive Gallia ex Constantinopoli per me Manuelem Chrysoloram missum Oratorem a praefato Imperatore anno a creatione mundi 6916, *ab Incarnatione Domini* 1408, *qui dictus Imperator ante annos quatuor Parisios venerat* (*a*). Quid clarius his dici potest? Quid est quod tam perspicuum, certum, distinctumque testimonium infirmare queat? At errorem in anno adscripto suspicatur Tiraboschius. Nam cum graecus Imperator Parisios adierit mense Iunio anni 1400, ibique per duos annos fuerit commoratus, qui poterat anno 1408 dicere Chrysoloras ante annos quatuor venisse? Sit ita sane. Erraverit enimvero in sua illa annorum computatione Chrysoloras. Sed si aliquis error fuit in annorum rationibus explicandis, is tantummodo extitisse dicendus erit in computandis significandisque annis, quibus Imperatoris adventus diem illum praecesserat, quos Chrysoloras vaga tantum, et incerta nota *ante annos quatuor* expresserat. Quis vero ne somniando quidem suspicari potest, eum in anno designando errasse, quo ipse ea scribebat, quemque adeo distincte aperteque et graeca, et romana computatione posteris signatum relinquere voluit? E Gallia in alias nationes diuturnis peregrinationibus pertransisse alia Leonardi epistola nobis declarare videtur. Scribit enim Nicolao Niccoli anno 1410 *advenisse Bononiam militem graecum X Kal. Martias secum habentem Demetrium non Poliorcitem, et Guarinum Veronensem*; et subdit, *Manuel vero Chrysoloras nescire se aiunt ubi terrarum*

(a) Pag. 56.

siet, coniectari tamen illum in Hispania esse (*a*).

Longis igitur legationibus pererravit fere totam Europam Chrysoloras, ex quibus tandem Bononiam ad Pontificem Ioannem XXIII appulit, ibique resedit. Atque id quidem ex Chrysolorae litteris ad Leonardum Aretinum, quas ex nostro codice proferimus, nobis argumentari licet. Nimirum eo tempore anno 1410, cum Ioannes XXIII Bononiae residebat, Leonardus Aretinus pontificiam curiam deseruit, et Florentiam adiit, ad suae Reipublicae, cui iam antea se devoverat, honorifico Cancellarii munere deserviendum. Atque eo tempore, sub finem nempe illius anni 1410 IV K. Ianuarii, litterae Chrysolorae ad Leonardum Aretinum datae Bononiae sunt. Quae litterae si ad Laurentii Mehus manus pervenissent, cum epistolarum, vitaeque Leonardi editionem parabat, quibus ille laetitiis exultasset? quam magnifice sese in Leonardi dignitate commendanda, eiusque et epistolis, et latinis e graeco conversionibus laudandis tanti viri testimonio iactasset? Speramus ergo gratissimam eam fore non Florentinis modo, sed Italis omnibus, qui et patriae, et litterarum amore tangi se sentiunt, in qua adeo praeclarum ipsorum litteraturae monumentum ostentare valent. Illud etiam in hac epistola alicuius pretii nobis esse videtur, quod novam temporis notam suppeditat ad texendam vitae, rerumque gestarum Chrysolorae chronologiam densis adhuc tenebris involutam, quam et Boernerus, et plerique alii eruditi desiderabant, et modo etiam desiderant.

(a) Lib. III. ep. 14.

K 2

Duae aliae vero Chrysolorae epistolae, quae in hocce nostro codice continentur, altera nempe ad Guarinum, altera ad Ambrosium Camaldulensem nullam in se signatam praeferunt temporis notam, neque historicas notiones nobis suppeditant. Sed non tamen minoris pretii aestimandae sunt; imo hae maxime ex Chrysolorae epistolis ab eruditis illius temporis requirebantur. Sic nimirum, ut supra diximus, ad Franciscum Barbarum scribit Ambrosius Camaldulensis; *Mitto ad te duas epistolas longiores nostri Chrysolorae, de amicitia alteram ad me, de mensibus secundam ad Pallantem, scriptas olim manu mea, tertiam ad nostrum Guarinum mittere non curavi, quod hanc ipse secum attulerit, habeatque illam in deliciis, nec ambigo quin illam tibi legerit* (a). Haec nimirum secunda epistola est ad Guarinum, qui tum parum intelligebat, quid *pecunia sacra* apud Demosthenem, quid apud Plutarchum *Homerus de Narthece* significarent. Chrysolorae oraculum consuluit, responsumque accepit eo numine dignum, tanta sermonis elegantia, et eruditione refertum, ut iure requiri, legique ab omnibus mereretur. Illa vero ad Ambrosium *de amicitia* philosophica prorsus est. Litteras miserat Ambrosius Chrysolorae; hic vero cum paulo morosior in respondendo extitisset, voluit tamen debitum tum cum foenore persolvere. Cumque Ambrosius obtestatus eum amice fuisset, ut longis sermonibus epistolae suae iucunditatem produceret, ipse Ambrosii et litterarum elegantiam, et animi modestiam, qua ab amico laudari omnino interdicebat, multis

---

(a) Lib. VI. ep. IV.

laudibus prosecutus, ut eiusdem votis longiori epistola obtemperaret, *pro quovis alio argumento*, ut ipse ait, hoc enucleandum suscepit, num liceat amicis mutuo sese laudare, nec ne, et multa in utramque partem acri ingenii acumine, magna verborum copia, et orationis elegantia disputat, et posse enimvero, imo et oportere amicos sese mutuis laudibus ad virtutem fovere concludit. Haec vero epistola, uti apertis verbis declarat epistolare commercium inter Ambrosium et Chrysoloram intercessisse, sic etiam praeclarum nobis praebet Chrysolorae testimonium de Ambrosii eleganti, et pulchro dicendi genere. Quod si Laurentio Mehus, viro in huiusmodi investigationibus sagacissimo, innotuisset, nae ille quamplurimis inde novis, atque speciosis animadversionum luminibus Ambrosii vitam, et epistolas, imo totius Italiae litterariam historiam illustrasset. Utramque hanc epistolam, et ad Guarinum, et ad Ambrosium nos hic studiosis lectoribus degustandas exhibemus, optamusque ut ex alicuius Bibliothecae latebris emergat item alia ad Pallantem *de mensibus*, quae una cum hisce nostris, eximie prae caeteris Chrysolorae epistolis ab Ambrosio commendatur.

Ex quatuor hisce epistolis duas ad Guarinum datas, olim, uti supra diximus, ad Carolum Rosminium Guarini vitae scriptorem misimus, qui primam tantummodo graece, atque italice a Ludovico Rossi conversam in appendice secundi voluminis vulgavit. Omnes vero quatuor hasce, quae in nostro codice continentur, non sine temporis dispendio, continentique labore, ex codice depravato, et eroso descripsit, atque in latinum convertit iuvenis in graecis litteris, et omni eruditionis genere versa-

tus, Angelus Antonius Scotti, habuitque quo ingenium, et gnavitatem, atque industriam, peritiamque suam ostentaret. Nos ei gratulamur, nobisque gaudemus, quod inexpectatum ignotumque monumentum sors obtulerit, quo symbolam nostram conferre possimus ad Chrysolorae vitae chronologiam nonnullis errorum nebulis abstergendam, eiusque viri memoriam novis honoris titulis augendam, cui graecae linguae, bonarumque disciplinarum instaurationem Italia, imo et universa Europa acceptam refert; quem Leonardus Aretinus *sapientiae iubar, litterarumque solem* appellat; (*a*) Poggius Florentinus *graecorum omnium sapientia, et eloquentia tum facile principem*; (*b*) Ambrosius Camaldulensis *solum propemodum, qui post veteres illos, quos ingenti admiratione admiramur, quorumque libris exercemur ad studia humanitatis, palmam doctrinae facile ferat*; (*c*) quem Guarinus Veronensis nunquam sine maxima reverentia, et admiratione, nunquam sine iteratis grati animi significationibus nominare poterat; quemque et Principes, et litterati, et quotquot aliquem humanitatis sensum, et litterarum saporem perciperent, *non tanquam ex Byzantio antiquissima civitate, Augustorum urbe, aut ex patritia familia ortum, sed velut e Coelo demissum* intuebantur (*d*).

Satis profecto, et fortasse etiam nimis multa de Chrysolora. Speramus tamen facile nobis veniam daturos esse

---

(a) Aret. in maledic. nebul.
(b) Or. fun. in Leon. Aret.
(c) Lib. VI. ep. V.
(d) Andr. Iul. pro Man. Chrys. fun. orat.

lectores, qui noverint quantum in Chrysolorae vitae temporibus explicandis et Virunius Ponticus, et Iovius, et Iacobus Pontanus, et Vossius, et Alstedius, et Papadopoli, et alii plurimi erraverint, quantumque et Hodius, et Zanchius, et Boernerus, et Giorgius, et Zaccaria, et Mehus, et Tiraboschius, et alii fere innumeri in iisdem emendandis, et persaepe incassum, insudarint. Quid de nostris hisce temporum computationibus, quibus Chrysolorae epistolae modo detectae ansam dedere, sit aestimandum, lectoris esto iudicium, cui voluntas, et otium erit monumenta a nobis allegata diligentius perpendere, rationesque hinc inde prolatas acriori trutina examinare. Nos modo ad Photium convertimur, et pauca de illius opusculo, seu potius de quodam maioris operis fragmento verba faciemus.

Inter ea quae ex Bibliotheca PP. Theatinorum ad SS. Apostolos in nostram Bibliothecam delata fuere, nonnulla erant Miscellanea opusculorum volumina, partim quae typis excusa partim quae manu tantummodo exarata complecterentur. In altero ex his, quod typis edita et latina, et italica continebat, parvum quoddam apparuit graecum opusculum manuscriptum, quod ab illo volumine discerpendum putavimus, ut loco sibi debito cum graecis reponeretur. Ubi ex eo volumine distractum liberius evolvendi fuit potestas, illico scriptum in fronte legi Φωτιου Κωνςαντινουπολεως πατριαρχȣ ερωτησεις τινες: *Photii Patriarchae Constantinopolitani quaestiones aliquot*. Coepi tunc illud reverentius intueri, et Photii opus, quodcumque id esset, accuratius examinandum suscepi. *Amphilochia*, seu potius *Amphilochiorum* fragmentum libellus

iste complectitur, quod a quaestione XXV incipiens in XLIII desinit, quam tamen sequitur nuncupatoria epistola Photii ad Amphilochium Cyzicenum Metropolitanum quae in *Amphilochiis*, uti par est, quaestiones omnes praecedit, ibique titulus totius operis praefixus est: Τα αμφιλοχια, η λογων ιερων, και ζητηματων ιερολογιαι. Liceat nobis in angusto orationis campo versantibus in descriptione exigui frustuli ingentis voluminis, extra instituti nostri terminos aliquantulum divertere, et in natura huiusce Photiani operis, in codicum varietate, in iis, qui ad hoc opus illustrandum animum appulere, in fragmenti nostri fatis, inque aliis ad Photium spectantibus tantisper exspatiari.

Amphilochia opus est Photii tercentas, aut eo amplius quaestiones continens ab Amphilochio Episcopo Cyziceno propositas cum satis amplis ad unamquamque earum Photii responsionibus. Quaestiones fere omnes circa varia Sacrae Scripturae loca versantur: nonnullae tamen ad alia quandoque evagantur, videlicet *De termino vitae*, *De decem Aristotelis cathegoriis*, *Quid est quod dicitur magnes*, *Cur Poetae patienti Herculi Amaltheae cornu tradant in manibus*, et alia non multa: cetera omnia ad rem biblicam, atque theologicam illustrandam referuntur. Speciosae fere omnes, et utilissimae quaestiones sunt; responsiones vero varia plerumque, eaque haud vulgari eruditione, solidaque ac sincera doctrina refertae; ut valde mirandum sit, qui fiat, ut cum a theologis, et à biblicarum, imo et philologicarum rationum amatoribus, tot antiquorum abscondita monumenta Sacram Scripturam et mysticè, et allegoricè, et tropologicè, et quandoque etiam non admodum fideliter interpretantia.

in lucem producta sint, quaestiones illae adeo doctae, et luculentae, quaeque et theologis, et Sacrae Scripturae expositoribus tantum luminis praebere valerent, adhuc post decem saecula in tenebris iacere sinantur.

Photianum hoc opus, et quidem sub ipso Amphilochiorum nomine antiquis innotuisse, manifesto declarant plerique codices, in quibus quaestio XXXVIII contra Ubiquistas, tamquam ex Photii Amphilochiis excerpta, continetur. Eam singillatim animadvertit Kollarius in notis ad Codicem Vindobonensem XXVI arcte nimis a Lambecio expositum. (*a*) Eamdem complectitur Monachiensis Codex CIV ab Ignatio Hardtio accurate descriptus. In utroque autem codice εκ]ων Αμφιλοχιων desumptam fuisse hanc quaestionem manifesto legitur; neque ulla est ambiguitatis ratio, cur a Kollario, et ab Hardtio, quibus Photianum opus notum esse debebat, *ex Amphilochio*, non ex Amphilochiis latine converteretur. Haec eadem illa est, quam anno 1648 inter opera S. Amphilochii Iconiensis, tamquam si ipsius Sancti excerptum esset, et quidem, ut ipse ait, reliquis vel aequale, vel praestantius vulgavit Combefisius, qui eam ab alio hisce simili codice accepisse se narrat. Sed venia, quam non merentur Kollarius, et Hardtius, danda est Combefisio, cum omnino ignotum, aut certe parum cognitum Amphilochiorum opus Photianum suo tempore fuerit. *Errorem corrigam*, ait Leo Allatius, *quo plerique antea ducti sunt, et nunc demum Amphilochii editor. Existimavit enim ideo Photii Amphilochia dicta, quod ex dictis Amphilochii Epi-*

(a) Comm. Bibl. Vind. t. VII. p. 135.

scopi Iconiensis sententias desumptas contineant, quod *aliter est : nam nomen habent ab Amphilochio Episcopo Cyziceno Photii amico, cui is dubia* CCCXIII *dissolvit, ab hoc enim Amphilochio Amphilochiis nomen dedit* (*a*). Monuit amice Allatius de errore suo Combefisium, eidemque ad novum auctarium Graeco-Latinae Patrum Bibliothecae aliam quaestionem ex Photii Amphilochiis misit, videlicet CXXV : *Quot fuerunt Asterii, et quaenam eorum opinio*? Id aperte narrat ipse Combefisius : *Misit*, ait, *Roma Leo Allatius, cum iam absolutis Asterii tractatibus notae in eum nostrae ederentur.* Sed haud intelligo, quid post haec omnia, quae modo dicta sunt, Combefisium impulerit, ut subiungeret : *Incertum quisnam hic Photius, qui Amphilochia, sive quaestiones, ac dubia ad Amphilochium Cyzicenum Episcopum scripserit. Extant grandi volumine in Cl. viri Petri Seguerii Franciae Cancellarii Bibliotheca, nec indigna praelo, tametsi abest Photii nomen. Eius fuit quaestio illa, quam Amphilochii nomine edidi ad calcem eius operum contra Ubiquistas, deceptus nomine* Αμφιλοχιου *sive potius* Αμφιλοχιων ; *sic enim emendandum est.* Iam enim tunc et monitus fuerat ab Allatio, et quaestionem aliam ab eodem acceperat, et Seguerianum Codicem noverat, et in illo ipso, ex quo fragmentum acceperat, quod ille S. Amphilochii existimabat, Photii Patriarchae Constantinopolitani, non incerti cuiusdam Photii, nomen inscriptum repererat. Illud ad rem nostram singulari animadversione dignum arbitramur, Amphilochio-

(a) De perp. cons. Eccl. Occ. et Or. p. 576.

rum particulam contra Ubiquistas supra memoratam reliquis S. Amphilochii excerptis vel aequalem, vel praestantiorem a Combefisio fuisse indicatam. Nam cum eadem illa quaestio, imo etiam multo auctior, in Amphilochiorum fragmento modo a nobis edito legatur, et cum aliis comparata nequaquam caeteris praestantior videatur, facile inde existimari valet, quanti nostrum hocce fragmentum, quantoque pluris totum illud Photianum opus faciendum sit.

Primus ante omnes Amphilochiorum notitiam suppeditavit doctissimus Leo Allatius, qui egregius tanti operis praeco multis illud laudibus commendat. *Opus*, inquit, *post ea, quae a nobis supra relata sunt, varium, et multiplici eruditione plenum, Theologis, ac Scripturae expositoribus maxime necessarium, eoque magis amplectendum, quod non alibi, quam in Vaticana nunc positum, ex libris Lollianis sub Urbano VIII. invectum, quod ipse sciam, extet.* (a) Vaticanus ille Codex, ut mihi a docto illius Bibliothecae Scriptore Michaele Carrega descriptus est, saeculo XIII, ut videtur, in Oriente scriptus, temporis iniuriis, et charta, et scriptura male affectus, medicam ipsius Allatii manum obtinuit, qui et totum codicem concinnavit, et voces, periodos, paginas quoque integras, quae valde erant obscuratae, lectuque difficiles, proximamque ruinam minabantur, accurate manu sua propria exscripsit, et omnia suis quaeque locis inseruit. Coepit illico Allatius recens inventum codicem in suum usum vocare; et in libro *de Simeonibus* cum quaereret, num Sacerdos esset ille Simeon, qui

(a) Loc. cit.

infantem Iesum, cum ad templum sisteretur, in ulnis suis suscepit, opportune locum produxit ex quaestione, prout in Vaticano codice est, CLVII, in Coisliano vero, seu Segueriano (de quo mox dicemus) CLXXXVI; et rursus ex quaestione LXXXIII locum alium exponit in syntagmate de Engastrimito (*a*). Neque alii deinceps, quod sciam, illius codicis usuram cepere. Ad vaticanum exemplar descriptum aliud fuit a Francisco Arcudio, viro latinis, graecisque litteris doctissimo, quod, ut ait idem Allatius, *characteribus elegantissimis diligentissime descriptum in sua Bibliotheca reposuit bonarum artium, et disciplinarum restaurator Franciscus Barberinus publicae omnium commoditati, atque utilitati* (*b*). Aliud item exemplar in Codice Colbertino 444 extare scriptum reliquit Cotelerius, quod ipse Amphilochiorum esse certissimis indiciis deprehendisse se dicit, *quamvis titulo, capite, et cauda trunca sint* (*c*), quod proinde cum tale sit, ingens fragmentum potius, quam integrum illud opus existimari merito potest. Longe prae ceteris Amphilochiorum opus descripsit Montfauconius, qui illud in membranaceo codice saeculi XI *Bibliothecae Coislianae* (*d*) sedulo perlustravit, atque, ut luculentiorem eius notitiam lectoribus praeberet, capitum omnium titulos, et responsionum initia ad verbum retulit; (*e*) quin et ad totius operis specimen, integras etiam quatuor ex illis quaestio-

(a) Cap. VII.
(b) Loc. cit.
(c) Not. ad Man. Eccl. gr. tom. III. p. 556.
(d) Cod. CCLXX. p. 345.
(e) Pag. 345.

nibus legendas exhibuit, quae licet longè absint, ut inter praestantiores sint aestimandae, aliquod tamen illius operis libamentum nobis porrigunt. Ipse item Montfauconius praeter duos hosce modo dictos Colbertinum, et Coislianum, alium etiam codicem memorat tunc temporis ex oriente ab Abbate Sevin allatum, quem tamen ipse recentem appellat (*a*). Hisce omnibus, et Parisiensibus, et Romanis alius insuper adnumerandus est Taurinensis chartaceus saeculi XV (CCCXXXIII.), quem Bibliothecae illius Praefectus Iosephus Possinus, sociis Riviautela, et Berta, late describit, atque ad Montfauconii exemplum singularum quaestionum capita exponit: *Cum Coisliano*, inquit, *contulimus, et praeter aliquam, licet non maximi momenti, lectionis discrepantiam, observavimus quasdam, numero tamen paucas, deesse in nostro codice quaestiones, et e contra alias haberi, quae in codice Segueriano desiderantur.*

Porro Taurinensis codex 297 tantummodo adnumerat, cum Coislianus ad 308 perveniat, et Vaticanus insuper ad 313 progrediatur. Quae sane diversitas a scriptorum arbitrio, aut vero etiam negligentia derivasse putanda est. In codice Vaticano, quaestio VI: *Quare Moyses Regni Coelestis non meminerit*, eadem est ac in Coisliano, et in Taurinensi; in illo postmodum XV eisdem verbis exprimitur, sed additur tantum: *Quare Moyses in Cosmogonia Regni Coelestis non meminerit*; responsio autem, quod ad quaestionis substantiam spectat, in idem omnino recidit, sed et principio, et fine, nonnullisque aliis rationibus diversa est. Id proculdubio causae fuit,

(1) Bibl. Biblioth. MSS. pag. 1031.

ut eam alii scriptores in suis codicibus reciperent, alii contra prorsus reiicerent. Atque idcirco fortasse in Coisliano, atque in Taurinensi omissa fuit. Atque inde propterea supputationes Quaestionum Vaticanarum uno numero prae Coislianis, et Taurinensibus augeri incipiunt. Contra extitisse duplicem illam quaestionem et in vetusto Neapolitani fragmenti codice, et in illis exemplaribus, unde quaestio contra Ubiquistas in supra memoratos Codices excerpta fuit, vel inde licet argumentari, quod nempe isthaec quaestio eodem numero, scilicet XXXVIII in cunctis hisce codicibus signetur, cum in Coisliana, et in Taurinensi XXXVII tantummodo adnumeretur. Parum studiis biblicis utiles, neque theologica gravitate satis dignae visae fortasse fuere Taurinensis codicis scriptori, praetermissaeque proinde sunt quaestiones omnes, quae ad Aristotelis cathegorias spectant. Quae una est in Coisliano quaestio CLXXXVII, in duas dispertita est in Taurinensi; aliae contra in Coisliano divisae, una eademque quaestione in Taurinensi proponuntur. Nonnullae item in eorum altero sub diversis numeris repetuntur, in altero prorsus omittuntur. Atque hoc pacto non idem in singulis Amphilochiorum exemplaribus quaestionum numerus reperitur. Et fortassis a Photio tercentum, ut ipse ait, fuerunt compositae, sed aliae ab aliis, sive ex ipsius Photii scriptis adauctae, sive in plures divisae, sive prorsus ablatae, numerorum diversitatem in diversis exemplaribus peperere. Sed haec parvi momenti sunt: illud potius dolendum est, quod opus tanto in pretio a viris doctissimis habitum, nondum lucem aspexerit, neque usquam ab ullo litterato fuerit ad bonorum studiorum profectum in medium prolatum. Laborem hunc voluit in se suscipere Franciscus

Dionysius Camusatus, qui exemplum Amphilochiorum ex Coisliano codice manu sua descripsit, descriptumque cum Colbertino contulit, et iam latinae versioni manum imposuerat, cum immatura morte praereptus Amstelodami, opus infectum reliquit. Post eius obitum inter suos libros non totum plane Amphilochiorum exemplum, sed pars quaedam tantummodo reperta est, ea nimirum quae quaestiones omnes a LXXIX codicis Coisliani usque ad CCI complectebatur; aberant praecedentes, et subsequentes. Hoc autem amplissimum fragmentum ex sectione librorum Camusati comparavit Io. Iacobus Wetstenius, et bono Reipublicae litterariae Io. Christophoro Wolphio viro doctissimo largitus est. Avide illud excepit Wolfius, et ad calcem *curarum Philologicarum, et criticarum* (a) una cum latina sua versione in lucem emisit. Non tamen totum fragmentum dedit, sed eas tantum quaestiones selegit, quae ad explicationem locorum difficiliorum novi Testamenti, in quo ille suas curas philologicas, et criticas impendebat, spectare videbantur: quin cum animadverteret plerasque ex illis quaestionibus in Photii epistolis pariter fuisse expositas, quae quidem plusquam mediam partem complectebantur, illis quoque pepercit, caeterasque vulgavit, quae per multas Wolfiani voluminis paginas protrahuntur. En ergo inceptum opus fausteque provectum desideratae Photiani operis editionis. Quod si Wolfianis adiungas et quatuor quaestiones a Montfauconio prolatas, et eas insuper, quae in Photii epistolis explicantur, iam forsan tertia operis pars confecta videbitur.

(a) Vol. V.

Non igitur iniucundum lectoribus, neque rei litterariae parum utile arbitramur, si etiam ad Amphilochiorum editionem promovendam nostram symbolam conferamus, et quaestiones in nostro codice conservatas in medium producamus. Id ante nos moliti sunt alii, qui utinam perfecissent! Leo Allatius de hoc opere, uti supra a nobis relatnm est, verba faciens, unumque tantummodo esse putans Vaticanum codicem, qui Amphilochia contineret, *Annis nihilominus elapsis*, subiungit, *Neapoli inventus est Codex antiquissimus, imo frustum antiquissimi Codicis vetustate exesum, principio, et fine mutilum: ex eo transmissa dubia, et solutiones viginti, cum plura non sint, et ad me, veluti thesaurus ingens transmissae sunt ab eruditissimis viris, qui operam suam in illis illustrandis pollicebantur; verum cum scivissent, cuius illa essent, et opus integrum extare, neglexerunt* (*a*). Extabat profecto in Archivio PP. Theatinorum ad SS. Apostolos fragmentum hocce Photiani codicis, quem *antiquissimum* dicit Allatius, quique iam tum sexcentorum annornm antiquitatem superare existimabatur. P. autem Antonius Caracciolus vir doctissimus Allatio, cuius erat amicissimus, examinandum fragmentum nostrum transmisit. Allatius Photianis divitiis afflnens in locupletissimo illo codice Vaticano 313 Amphilochianas quaestiones continente, despexisse, vel saltem non magni fecisse videtnr frustulum hocce nostrum, non quidem viginti, sed vix octodecim complectens. Verumtamen, ut amico suo Caracciolo gratificaretur, cum Codex esset vetustate exesus,

(a) Loc. cit.

maleque mulctatus, lectuque difficilis, iussit illum transcribi a Neophyto Rhodino Monacho Cyprio, qui in Monasterio Cryptae Ferratae residebat. Et quamvis hic non esset ab huiusmodi exercitationibus alienus, imo complures libros manu sua descripsisset, et nonnullos item graecos ipse composuisset, non valuit tamen ob codicis difficultatem voculas cunctas exscribere, et errorem omnem vitare. Quare voluit Allatius scriptum recensere, leviterque nonnulla loca castigavit, emendationesque duas, et brevissimas quasdam adnotatiunculas ad marginem manu sua adscripsit, et pleraque nihilominus aut supplenda, aut corrigenda praetermisit, atque utrumque exemplar, hocce recentius a Rhodino descriptum, atque antiquum illud archetypum Neapoli missum cum epistola, qua omnia haec quae acta fuerant referuntur, P. Antonio Caracciolo remisit. Haec omnia anno 1631 transacta sunt, uti ex ipsius Allatii ad Caracciolum epistolis, quarum pleraeque penes me sunt, deprehendi. Neglexerunt tunc itaque, ut ait Allatius, eruditissimi illi Patres rem ulterius efferre, neque ullum deinde verbum de illo codice toto eo saeculo factum est. Verum ad sequentis initium anno 1717, cum ea, quam supra diximus, Neapolitanorum codicum in Austriam devectio patrata fuit, Photianum illud fragmentum, utpote quod eximia vetustate commendaretur, inter pretiosiores codices migrare iussum est. Tunc demum hocce Rhodinianum exemplum ad vetusti Archetypi vices supplendas, in pretio haberi coeptum; et, ne id etiam periret, in lucem edere voluit vir graecis litteris instructus, et in graecis codicibus legendis, interpretandisque versatus, Nicolaus Carminius Falconius presbyter, qui

postea Metropolita Sanctae Severinae in Calabria fuit creatus. Iamque illum sibi usuique typographico describendum curaverat, coeperatque latinam interpretationem instituere; et sane anno 1719 latina Falconii interpretatio et inchoata, et provecta pluribus innotuerat. Iamque eodem anno litteris die 25 Iunii datis P. Sebastianus Pauli inceptum opus Scipioni Maffeio nuntiaverat, et quaestionum capita earumdemque initia, graece primum, prout in codice iacebant exposita, tum inde etiam latine à Falconio conversa, tamquam specimen miserat (a); cum nescio quo fato, neque Falconio inchoatum opus perficere datum fuit, neque usquam apparet, quid de exemplo a Falconio descripto, quidve de incepta eiusdem interpretatione actum sit. Fortunate accidit, ut Rhodini exemplar in tot illius Archivii dispoliationibus, in tam varia, et iniqua rerum vicissitudine incognitum, intactumque iaceret, ut modo nos eius usuram capere possemus; et quod neque tunc temporis eruditissimi viri Caracciolus, Riccardus, Belvitus, aliique PP. Theatini, neque postea Falconius perfecerunt, quodque rei litterariae, et ecclesiasticae interesse credendum est, hanc Amphilochiorum partem, licet breviusculam, in lucem proferremus. Transcripta in fragmento esse dubia, et solutiones viginti, ait Allatius; sed, ut verum fatear, nimis ille liberaliter cum nostro libello egit; neque enim quaestiones omnes octodenarium numerum excedunt, a XXV scilicet usque ad XLII, imo cum XXX iisdem prorsus verbis ac XXXVII proferatur, neque ab illa diversa dici ullatenus queat, ad septemdecim tantum-

(a) Giornale de' Lett. d'Italia tom. XXXII.

modo contraendae sunt, quibus tamen nuncupatoria insuper Photii ad Amphilochium epistola apponi debet. Illud tamen non parum nostri fragmenti pretium commendat, quod omnes quaestiones in eo expositae sunt, ut ita dicam, primigeniae, et ex eo nunc primum in lucem editae, neque ulla sit ex eius epistolis, aut aliunde decerpta, quaeque iam antea in vulgus prolata fuerit. Illa tantummodo saepius memorata contra Ubiquistas a Combefisio edita fuerat; sed ea sub falso Amphilochii Iconiensis nomine operiebatur, hic sub vero Photii nomine, et in sede sua, non in aliena societate comparet; ibi deminuta, hic integra data est, ut nova quodammodo etiam post Combefisii editionem dicenda sit. Latinam huiusce fragmenti versionem concinnavit idem, qui supra laudatus est, Angelus Antonius Schottus, iuvenis, et a graecis litteris, et a studiis theologicis bene paratus. Aequum profecto erat, ut cum iam olim Andreas Schottus vir doctissimus, Photii Bibliothecam latina versione, suisque adnotationibus donarit, eamdem nunc operam alter Schottus huic etiam Photii opusculo commodaret. Nos si minus laudem, (quae enim laus ex tam levi opere quaerenda est?) veniam sane meruisse speramus, si fragmentum hocce, licet tenue, et exiguum, e tenebris, in quibus hactenus latebat, in theologorum, litteratorumque conspectum deducendum curavimus, atque ex locupletissima Photiana gaza parvum munusculum in publicam utilitatem contulimus.

Photiana omnia plurimi sunt facienda, uti nos docet eruditissimus ille Graecus, et Romanae Ecclesiae ardentissimus propugnator, Leo Allatius. Hic enim in lit-

teris ad P. Antonium Caracciolum amicè familiariterque scriptis vota sua aperuit, ut Latina Ecclesia cuncta Photii opera peculiari quodam studio perquirere, atque in unum colligere, et evulgare nitatur, vel illa etiam, quae contra ipsam scripta sunt, quod ex illis scilicet multo plus emolumenti, quam damni in eam derivant (*a*). Id olim Venetiis inceptum fuit, uti diserte narrat Iacobus Morellius (*b*). *Est*, inquit, *ante annos circiter sexaginta de omnium Photii operum editione facienda apud nostrates consilium initum, susceptaque cura, ac multa quidem in eam rem comparata; quorum conspectum a me fuse descriptum in huiusmet Bibliothecae continuatione proferendum repositum habeo.* Id ipsum moliebatur modo à nobis laudatus Franciscus Dionysins Camusatus, qui plenam cunctorum Photii operum, quotquot undecumque reperire poterat, editionem parabat, ut ipse in Ephemeridibus profitetur.

Ad id opus perficiendum non parum opis superiori saeculo a plerisque viris doctrina praestantibus collatum est. Iam enim ab initio vir ille clarissimus Montfauconius, nulli parcens labori, ad litteraria omnia se vertens, non modo, uti supra diximus, capitum titulos, responsionum

---

(a) Mi creda Padre, che la Chiesa Latina dovrebbe fare studio particolare di trovare, e mettere insieme, e stampare l' opere tutte di quello sciagurato (Fozio), eziandio quelle, che sono scritte contro di essa, perchè se ne caverebbe assai più utile, che danno, e molti secreti nell'Istoria, che non si possono avere in altra bottega, perchè sebbene fu tristo, contuttociò con quel suo cervellaccio inquieto ha detto molte cose, che altro meno savio di lui, giacchè si trattava in quella maniera, l' avrebbe taciuto. Di Roma 15. Marzo 1631.

(b) Bibl. Manuscr. t. I. p. 95.

initia, et quatuor integras quaestiones ex Amphilochiis in lucem dedit, sed aliud etiam Photii opusculum ex eodem codice protulit. Extabat enim historia qnaedam recentiorum Manichaeorum a Photio adornata, illius scilicet repullulantis Manichaeismi sectae, quae a Paulo qnodam Paulicianorum nomen accepit, eamque dignissimam arbitratus est Montfauconius, quam in lucem proferret, contulitque proinde cum Colbertino codice supra a Cotelerio memorato, et in eadem Coisliana Bibliotheca post Amphilochianas quaestiones vulgavit, duorumque hoc pacto Photii operum specimen nobis libandum propinavit. At Photianum opus adversus recentiores Manichaeos praeter illius haeresis historiam, defensionem fidei adversus eorum impugnationes complectitur: Montfauconius vero historiam tantnmmodo, quae tota in primo operis libro continetur, evulgavit, tresque alios libros, qui omnia doctrinae capita persequuntur, intactos reliquit; sive quia historica amoenitate contentns, parum opportunnm consilinm arbitratus est iu opere illo bibliographico tot libros polemicos doctrinae Theologicae inserere, sive potius, uti ego arbitror, quia illa solummodo pars in codice legebatur; quod sane titulus ipse indicare videtur (*a*). Atqne idcirco paucis post annis nova accessio vulgatis Photii operibns facta est.

Nam post illam Montfauconii editionem Christophorus Wolfins supra laudatns alium codicem nactus fuit dono a Luca Holstenio Bibliothecae Hamburgensi Roma mis-

(a) Photii sanctissimi Archiepiscopi Cônstantinopolitani narratio in Epitome de Repullulantibus Manichaeis pag. 349.

sum, qui et primum librum historicum, et tres alios didascalicos continebat; atque ex eo codice non modo historiam pluribus locis correctiorem nobis dedit, sed tres alios libros, totamque anti-Manichaeorum doctrinam anno 1729 in lucem produxit (*a*). Medio deinceps saeculo Wolphius idem quaestiones illas ex Amphilochiis, quas supra diximus, evulgavit. Posterioribus hisce temporibus Franciscus Fontanins Riccardianae Bibliothecae Florentinae praefectus novis item opusculis Bibliothecam Photianam auxit. Observavit enim in Codice XI. Riccardianae Bibliothecae collectanea quaedam, *accuratasque demonstrationes quaestionum de Episcopis, et Metropolitis, aliisque ex synodicis, et historicis scriptis decerptas*. Idem opus prius invenerat in Vaticana Vignolius, atque in latinum converterat, sed ineditum reliquit. Idem pariter in Caesarea Vindobonensi legerat Fridericus Munter, voluitque inde sibi exemplum depromere; atque illud suum apographum sponte sua Fontanio dono dedit. Hisce proinde subsidiis munitus Fontanins Riccardiani exempli textum correxit; Vignolii interpretationem aliquibus in locis emendavit; quaestionem, quae in aliis exemplis deerat, adinnxit; atque Photianum illud opus hactenus inter inedita adnumeratum, anno 1785 in lucem produxit (*b*).

Hoc demum ineunte saeculo XIX novum Photii Opus, doctissimum nempe lexicon philologorum studia

(a) Φωτιου του αγιωτατου Αρχιεπισκοπου Κωνσταντινουπολεως εν συνοψει διηγησις της νεοφανους Μανιχαιων αναβλαστησεως. Photii Sanctissimi Archiepiscopi Constantinopolitani narratio in epitome de repullulantibus Manichaeis.

(b) Nov. Del. Erud. t. I.

occupavit. Illud olim, saeculo XVI visum fuisse a Ricchardo Thonsone, testatur Scaliger (*a*). Idem etiam summopere expetitum ab ipso Thonsone accepisse se scribit ad Labbeum Casaubonus (*b*). Exeunte eodem saeculo XVII in Photii lexico excolendo animum suum applicasse Bentleium, scriptum video in litteris ab Andr. Adamo Hochstettero ad Humphredum Hodium anno 1694 Tubingae datis (*c*), qui eum interrogat: *quid venustissimus Bentleius? quid Photii lexicon ab ipso excultum?* Verum quid a Bentleio perfectum sit, prorsus me latet. Ab eo tempore nonnulla alia illius Lexici exemplaria comparuere, quae auctoris nomine, et accurata vocabulorum explicatione, et eruditionis copia commendabantur. Egregiam eius usuram plerique recentiores grammatici, maxime vero prae caeteris omnibus, Albertius in Hesichii editione cepit, avidamque in studiosis omnibus cupiditatem illius opibus fruendi excitavit. Id demum praestitit Godefridus Hermannus, qui duobus apographis usus, altero e regia Dresdensi Bibliotheca, altero vero, et copiosiore, et correctiore ex clarissimi viri Christiani Danielis Beckii Bibliotheca sibi commodatis Lexicon illud anno 1808 Lipsiae impressum, in vulgus emisit.

Cur ergo si et nos etiam pauca haec, nimis profecto parva, Photiana tamen, quantulacumque illa sint, adquirere modo possumus, invideamur? Speramus contra lectorum gratiam nos inituros, dum brevem hance grandioris

(a) Ep. 48. cui resp. Casaub. 175. p. 94.
(b) Ep. CCCXXVIII.
(c) Diss. de vit. et script. Humph. Hodii a S. Iebb.

Photiani operis particulam typis impressam ipsorum oculis exhibemus.

Sed post Photiani fragmenti rationem nondum manum de Archivio PP. Theatinorum ad SS. Apostolos tollamus. Erat tum domus illa religiosa quaedam Academia sapientissimis viris referta, qui sacras disciplinas, graecas, Ebraicasque litteras, et bona omnia studia excolerent, et modis omnibus promovere satagerent. Inter eos duo PP. Antonius Caracciolus, et Vincentius Riccardius societatem quandam inter se inierant, ut plurima SS. PP. graecorum opuscula et fragmenta minus cognita ex vetustis codicibus colligerent, in latinam linguam converterent, et luci publicae darent.

Quid illi egerint, quid pararint, quid perfecerint, quid in lucem dederint, quid sub praelo latens reliquerint ab Antonio Francisco Vezzosio satis distincte expositum est (*a*). Nostra id tantummodo interest, quod a locupletissimi illius archivii, ut ita dicam, ruderibus defossum ad nostram Bibliothecam pervenit. Nimirum in illa chartarum farragine oculis nostris sese obtulit involucrum quoddam plura graeca folia, et latina alia complectens. Advocavi illico Salvatorem Cirillum iuvenem ingenio, doctrinaque praestantem, et graecis litteris bene instructum, qui fere illis diebus in Regiae Bibliothecae scriptorem adlectus fuerat. Perlustravimus minutatim singula folia; omnia Chrysostomi, Damasceni, aliorumque graecorum Patrum homilias, orationesve, aliaque scripta referebant. Erant fere omnia si quidem temporibus illis in-

(a) Scrittori de' Chier. Reg. Teatini tom. I. 2.

cognita, aut saltem inedita, modo vero iam in vulgus prolata, et latinis versionibus in omnium cognitionem deducta. Quaedam tamen nobis nondum edita videbantur. Ex iis Cirillus duas sibi Chrysostomi orationes examinandas suscepit, et earum alteram in latinum convertit, quae modo inter haec anecdota locum habebit: de quibus omnibus Cirillus rationem reddet.

Ea porro credi fortassis poterit typis iamdiù excusa in magno illo volumine impresso, sed nunquam vulgato, quod sub titulo *Chrysostomiana* a Vezzosio refertur, contineri; quod tamen non ita esse, multis rationibus adducor, ut credam. Verum sit ita sane: fuerit illa quidem Chrysostomi oratio in viginti illis orationibus, et homiliis a Vincentio Riccardio in latinum conversis; sed neque illa nota est, et iacebit illa typis excusa, et tenebris obvoluta, neque in eruditorum cognitionem deveniet, nisi ab alia manu in medium producatur. Atque id quidem nunc agitur. Quod si dies aliquando versionem aliquam illius orationis, sive Riccardi, sive cuiuscumque illa sit, iam typis impressam in lucem proferet, benè nobiscum actum putabimus, cum duas eiusdem versiones, atque editiones ante oculos haberi posse videbimus. Interea non posse nos reprehendi existimamus, quod parvam hanc guttulam Chrysostomianae eloquentiae immenso illi oceano editarum Chrysostomi orationum adiiciamus.

Longe a Chrysostomi eloquentia abest recentioris philosophi Georgii Gemisti Plethonis oratio, quam modo in lucem edimus: sed magno tamen apud graecos, atque latinos in pretio est. Tot enim laudibus Gemisti eloquentiam commendant eruditiores Graeciae viri, et nonnulli

etiam latini, ut non ipsum posteriorum temporum philosophum, sed antiquitatis scriptorem demonstrent. Magnus ille Bessario Cardinalis, cuius testimonium pro tota graecorum gente valere potest, gratulari sibi ait, quod tanti hominis commercio usus fuerit, quo post Platonem, excepto Aristotele, superiorem Graecia non tulit (*a*). Georgius Trapezuntius, qui animo non admodum benevolo adversus Gemistum scribebat, eum tamen censet non minorem eloquentia Platone, neque illi scientia inferiorem; eiusque scripta ornate eleganterque composita Platonis pigmenta breviter, distincteque referre (*b*). Ex latinis item M. Antonius Antimachus doctissimus Mantuanus, cum historicos Gemisti libros a se in latinum conversos ederet, in praefatione ad Matthaeum Antimachum patrem suum de Gemisto ait, non tantum esse verbis aptum pressumque, sed artificio tanto, tanta lenitate, ac rerum copia ferri, ut post Herodotum, ac Thucydidem cum antiquissimis Graeciae scriptoribus non immerito comparari possit. Lilius Gyraldus eum appellat philosophum excellentissimum, *quod*, inquit, *cum ipsius multiplicibus, et variis operibus, quae apud graecos leguntur, tum ex testimonio Bessarionis Cardinalis amplissimi, et monumentis videri potest* (*c*). Atque his aliisque similibus honoris titulis caeteri omnes graeci, et latini Gemistum decorant. Erant illis temporibus desinente saeculo XIV et incipiente XV Duumviri graecae litteraturae Emma-

(a) Epist. ad Dem. et Andr.
(b) De Compar. Plat. et Arist.
(c) De Poetis sui temp. Dial. II

nuel Chrysoloras, et Georgius Gemistus Pletho: maioris apud latinos meriti Chrysoloras, insignioris nominis apud graecos Gemistus: a cunctis ille tum graecis, tum latinis in summa est habitus veneratione, omniumque semper morum, atque doctrinae, virtutis, et sapientiae laudibus ornabatur, hic etsi complures obtinuit eloquentiae suae, atque eruditionis praecones, a multis tamen gravissimis criminationibus vexatus fuit, et dum a plerisque eius facundia, et scientia laudatur, ab aliis contra vita, et religio culpatur. Verumtamen ab omnibus inter praecipuos illius temporis Graeciae doctores est habendus. Nos cum Chrysolorae eloquentiae aliqua monumenta in hoc volumine demus, licitum nobis esse pariter existimamus Gemisti aliquod opusculum nostrorum lectorum oculis exhibere.

Complura habemus Gemisti opuscula in codice, qui fuit olim Hieronymi Seripandi, inter quae Oratio celebratissima in obitum Helenae Palaeologinae, quam Salvator Cirillus in latinum convertendam, atque edendam selegit. Duae erant Orationes, seu Monodiae a Gemisto compositae, altera in obitu Imperatricis Cleopae, altera in Helenam, seu Irenem pariter Imperatricem, suis quaeque laudibus a Graecis ornata; et cum utraque inedita iaceret, utraque pariter in multis Bibliothecis manuscripta servabatur. Et cum modo paucis ante annis Monodia illa in obitum Cleopae in lucem producta fuerit, merito aestimavit Cirillus adiungendam illi sociam eam, quae in Helenam ab eodem Gemisto scripta fuit. Prodibit illa igitur in hoc anecdotorum volumine Cirilli versione, et adnotationibus illustrata. Nec iniucundum, et inutile erit

lectoribus, cum copiosa, et rapida Chrysostomianae orationis fluenta sectati fuerint, ad lentulum, et placidum Gemistiani sermonis rivulum assidere.

Magna a nobis debetur, libenter fatemur, Nicephoro Blemmidae reverentia. *Vir enim is fuit*, ut ait Nicephorus Gregoras, *si pietatem, et doctrinam spectes, vere admirabilis, multis virtutibus insignis, et sapientia varia instructus, tum ea quae apud gentes in pretio est, tum ea, quam Ecclesiae Antistites, et Oratores in nostram utilitatem prodiderunt* (*a*). Eo neminem in philosophicis disciplinis praestantiorem se novisse testatur Georgius Acropolita (*b*). Praecipuum inter omnes virtute, et sermone admirabilem eundem censeri ab omnibus, ait Georgius Pachymeres (*c*). Et graeci omnes tum romanae fidei adhaerentes, tum etiam eidem vel maxime infensi, multis docrinae, et pietatis laudibus ornant; et, ut ait Io. Veccus, (*d*) eius sapientiam in ingentem gloriam pervenisse fatentur. Atque hic vir tot, tantisque christianae virtutis, et divinae, atque humanae doctrinae laudibus per totam Graeciam, et vero etiam per universam ecclesiam spectabilis, validissimus fuit catholicae fidei, et romanorum dogmatum assertor, librosque conscripsit et Sacrae Scripturae, et SS. PP. testimoniis refertos; in quibus semina eorum continentur, quae a tot aliis graecis romanae fidei cultoribus post eum prolata sunt. Et, quod maximum est, ipsius libri ad Theodorum Imperatorem,

(a) Hist. lib. II.
(b) In hist.
(c) Hist. lib. V.
(d) Orat. de Iniust.

et ad Iacobum Bulgariae Archiepiscopum scripti, Ioannem Veccum, qui acerrimus antea fuerat graecorum dogmatum propugnator, ad meliorem frugem deduxerunt, et ex infensissimo catholicorum hoste, validissimum verae fidei athletam, et processionis Spiritus Sancti apostolum reddiderunt; quod maximo fuit totius ecclesiae emolumento. Huius ergo tanti viri memoria in summa veneratione habenda est, et quaecumque ab eius stilo prodierunt, plurimi a nobis aestimari debent. Quare cum Blemmidas praeter theologicos libros, nonnullos etiam philosophicos scripserit, his etiam suus honor habendus est. Logicam ille quidem, et physicam, rationem de compendiaria arte disserendi, tractatumque de astrolabio, demumque geographicum opusculum conscripsit. Philosophica illa omnia, et logica, et physica a plerisque viris doctrina praestantibus in lucem saepius edita sunt; et Georgius Valla, et Io. Wegelinns, atque alii typis saepius excudenda curarunt. Restat tantummodo ineditum geographicum Blemmidae opusculum, quod licet non magni pretii esse videatur, non inferioris certe meriti, quam logica, et physica, neque minus luce dignum existimari potest. Illud in latinum convertit, variisque adnotationibns, ea qua par est diligentia, illustravit supra laudatus Cirillus, speramusque minime nobis vitio vertendum esse, si illud inter anecdota nostra producamus. Geographiam synopticam vocat illud Salmasius (*a*), eaque facilitas geographiam universam uno intuitu in aspectum prodendi grata quamplurimis hisce temporibus esse valebit, cum in cunctis

(a) Pag. 276. Epist.

scientiis Synopticae Tabulae desiderantur. Poterit hoc quidem novae doctissimi Bredowii editioni Geographorum minorum antiquorum adiungi, et Dionysii Periegesi quasi commentarium annumerari. Illud quidem, qualicumque usui esse valeat, nos non pigebit aliquam operam in eo evulgando posuisse. Atque haec quidem hactenus recensita opuscula ea anecdota sunt, quae cum primis nostris disquisitionibus sese obtulerint, haudquaquam morati sumus quantocius ex pluteorum tenebris in lucem emittere, et publico eruditorum commodo in hoc primo anecdotorum volumine proferre.

Dum hisce graecis opusculis illustrandis, et aliorum catalogo concinnando operam navabat Cirillus, in quoddam volumen incidit, quod Dioscoridis librum de *simplicibus medicamentis*, et duo simul opuscula medica, alterum *de pulsibus* Mercurii Monachi, alterum Abiziani *de urinis* continebat. Et, ut ille est rei medicae studiosus, et in ea arte optime excultus, cum Mercurii opusculum brevissimum esse videret, et doctrinae novitate medicis placiturum speraret, voluit aliquantisper in eo opusculo pertractando laborem suum suspendere, et in ea graeca lucubratiuncula explananda aliquod sibi litterarium oblectamentulum sumere. Convertit igitur in latinum graecum monachi medici opusculum, et medicis, grammaticisque adnotationibus illustravit, eleganti atque erudita praefatione ornavit, qua clare, et ad veritatem exacte litterariam historiam totius doctrinae sphygmicae exposuit, placuitque sibi, et aliis hoc pacto ornatum opusculum separatim ab aliis anecdotis, quae in hoc volumine continentur, in publicam lucem producere, et in leviusculo hocce labore

non levem gloriam et ingenio industriaeque suae, et bibliothecae nostrae ab eruditis medicis reportavit. Ei proinde adiungendum existimat alind Abiziani de urinis opusculum, quod sperari merito potest non minus futurum esse medicis gratum, quam Mercurii commentariolum fnisse vidimus. Quod Abiziani opusculum cum aliis insuper, quae in mente habet, aliis voluminibus materiam suppeditabit.

Complura item ab altero bibliothecae scriptore saepius a nobis laudato Cataldo Iannellio parata sunt, quae procul dubio litterariae historiae utiliora, et maiori lectorum nnmero cariora videbuntur. Habet enim ille iamdiu typis paratam Iani Parrhasii alterius e nostrae bibliothecae institutoribus vitam accuratissime scriptam, quae non solum Parrhasio, et neapolitanae eruditioni maius nomen decusque afferet, sed, cnm Parrhasius in multis civitatibus per totam Italiam scholas habuerit, uberiorem magisque distinctam totius Italiae litteratae cognitionem nobis aperiet. Eiusdem diligentia, ac industria Dracontii plurima carmina non solum inedita, sed prorsus etiam ignota reperta sunt, quae et Dracontii poetae iamdiu in vulgus editi, sed nondum satis cogniti splendidiorem magisque nitentem faciem eruditis lectoribus repraesentare, et antiquae mithologiae, quae satis iam cognita videbatur, novam quodammodo lucem affundere valebunt.

Sed iam nimia sermonis nostri prolixitas nos admonet, ut manum de tabula tollamus. Libet vero ad coronidem huic prodromo apponendam, anecdota quaedam carmina ab eo non aliena, e plerisque nostris codicibus excerpta, lectorum oculis exhibere. Extant in bibliotheca

nostra non pauci codices poetarum saeculi XVI, qui lucem nondum viderunt, in quibus plurima carmina observantur, quae Farnesiorum, aliorumque, quos supra diximus, bibliothecae nostrae institutorum laudes concinunt. Hos integros codices in vulgus edere nimis fortasse longum esset. Aliquod tamen eorum specimen prae oculis habere eruditis lectoribus non displicebit: nosque propterea eorum aliquot seligimus, quae in modo dicto argumento nostro prodromo conveniente versantur, et Tranquilli Molossi, et Iosephi Nigri, aliorumque eius temporis poetarum carmina quaedam producemus.

TRANQUILLI MOLOSSI

FARNESIANA

EX TRIBUS SUORUM CARMINUM LIBRIS
EXCERPTA.

O

PROLOGUS.

Balthassar Molossus, sub *Tranquilli* nomine magis notus, in amplo nobilique oppido Casalismaioris ad Padi ripam posito, anno 1466 natus est. Cumque ingenio praestaret, et litterarum studio impense deditus esset, in eum eloquentiae, et poeseos honorem brevi tempore elatus est, ut iuvenili adhuc aetate inter clariores sui temporis poetas adscribi mereretur. Atque ob eius celebritatem primum ab Hermolao Barbaro inter suos familiares adscitus; inde vero a Bosone Sfortia filii sui Sforzini magisterio praefectus fuit. Demum Molossi nominis fama permotus Alexander Farnesius Cardinalis, qui tum temporis Parmensis erat episcopus, et postea ad supremum Ecclesiae Pontificatum evectus fuit, eum ad se vocavit, ut filium suum Petrum Aloysium litteris et bonis artibus imbueret, cunctisque studiis, quibus nobiliorum adolescentium animos ornari decet, assidua institutione informaret. Atque eo munere accuratissime perfunctus in eadem familia per multos annos in maxima patroni sui, et discipuli gratia permansit. Floruit propterea *Tranquillus* principibus viris, et eruditis hominibus carus. Multa ille composuit poemata, quae magno in pretio a sui temporis poetis, cunctisque aliis, qui bonarum artium studia excolebant, habebantur. Sed cum nihil eorum in lucem ederetur, cecidit proinde annorum lapsu huius poetae fama. *Monomachia* tantum, seu poema heroicum de singulari certamine Sfor-

zinum inter suum discipulum, et Camillum Gambaram editum Parisiis fuit anno 1539 typis Sebastiani Gryphii in sylloge quadam, cui titulus *Ioannis Secundi Hagrensis Basia, et alia quaedam*: atque hoc poemation magnam ei ab eruditis laudem comparavit, ut propter id solummodo a Iulio Caesare Scaligero dictus sit: *Molossus spiritus ingens nihil sonans plebeium* (a). Tranquilli carmina post eius mortem a multis describebantur; sed eorum exempla in privatis Bibliothecis latebant: et cum a multis eorum editio desideraretur, Hieronymus Chiozzius anno 1581 eam tentavit, sed opere complere non potuit. Sequenti saeculo Laurentius Pignorius, qui Molossi carmina plurimi faciebat, et in suo Musaeo diligenter adservabat, voluit item ea in lucem produci, et ad Ioannem Thuillium scribens, septem ad eum epigrammata misit, quae cum eadem sua epistola typis impressa sunt, eumque hortatur, ut librarium inveniat, qui ea typis suis committat. *Ex hisce paucis*, inquit, *tu poteris coniectare quanti pretii sint reliqua. Illa sane typographum operiuntur quempiam, et illum quidem amantem publicae rei, non gestientem loculos implere: quos tamen ex huiusmodi merce nemo feret inanes* (b). Haudquaquam iustis Pignorii votis obsecundatum fuit, et Molossi carmina inedita remanserunt, neque postea, quod sciam, ab ullo alio intercepta est huiusmodi carminum editio. Nos codicem nacti, qui olim iunioris Alexandri Farnesii Cardinalis iussu descriptus fuit, quique tanquam exemplar aliorum, qui vulgo circumferuntur, codicum

(a) *Poet. Lib. VI. c. IV.*
(b) Symb. Epist. XXXIII.

Molossi carmina complectentium aestimari potest, non plenam quidem illius dabimus editionem, sed ne ab instituto nostro discedamus, illa tantummodo carmina proferemus, quae ad rem nostram faciunt, quae nempe Alexandrum Farnesium P. M. primum, ut ita dicam, nostrae Bibliothecae institutorem respiciunt: quae quidem non parvo numero recensentur. Id tamen satis nobis gratum est, quod dum poetica Molossi virtus a criticis celebratur, ea maxime in argumentum adducuntur, quae a nobis nunc producentur. Nam Lil. Greg. Gyraldus in Epist. ad Ant. Thibaldeum eius carmina de venatione commemorat, ut eum grandibus aptum versibus appellet, dum ait,

Non bellator adest mihi, venatorque Molossus,
Grandibus hic aptus numeris, grandique cothurno.

Franciscus Arsilius Senogaliensis in elegia de Poetis Urbanis haec de Molosso cecinit:

Dum celebris Vates circumfert pompa, Molosse,
Ipse indicta feris horrida bella cane,
Queis cecidere Apri Cervorumque agmina longa,
Et damae imbelles, Capreolumque genus,
Cum Leo venandi Palieti lustra Caninum
Oppidulum lassus moenia parva subit,
Illic ubi hospitio exceptum Pharnesius heros
Convivam nulla non fovet arte Iovem.

et ex septem epigrammatibus a Pignorio ad Thuillium prolatis quatuor inter Farnesiana adnumeranda sunt. Satis ergo lectorum curiositati facturos nos esse arbitramur, dum ea quae ad rem nostram pertinent, in hoc prodromo e codicis nostri latebris eruentes, publicae eruditorum inspectioni exhibemus.



EX LIBRO PRIMO

HEROICA.

TRANQUILLI MOLOSSI

PALIETUM

AD BENEDICTUM ALBINEUM PARMENSEM

SEU

Descriptio venationis, quam Alexander Farnesius in Palieti sui silvis Leoni X.P.M., aliisque Romanae aulae proceribus paravit.

Bella feris indicta loqui, causamque, locumque,
Agminaque, et captam vario discrimine praedam
Me iubet Albineus, cui quis neget ista volenti?
Sylvarum regina fave, tua cura sagittae,
Spartanique canes, cinctique indagine saltus:
Sic ramosa tuis non desint cornua templis,
Purpureique tegant suras tibi, diva, cothurni.
Solvat ut infestas, post acta negotia, curas,
Venatum parat ire Leo. Dant classica signum,
Indicuntque diem sociis. Mora nulla, vocati
Convenere duces, canibus, iaculisque parati
In quascumque velit ferri venabula sylvas.
Affuit Estensi generatus ab Hercule pulcher

Hyppolitus, spes fida tuis Ferraria rebus.
Non magis hoc alius, quum vertere seria ludo,
Et licet implacidos animo depellere morsus,
Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi.
Venit et antiqua memorandus origine, magni
Scipiadae genus in tyrio Cornelius ostro,
Insignis facie juvenis, quem baltheus ambit
Factus acu, Cytherea, tua, pictura peremptum,
Æternis causam lachrimis, testatur Adonim:
Hic aper est, hic sylva nocens et vulnere acerbo
Prostratus puer exangui pallescit in auro.
Hos inter medius se se Federicus agebat
Ingenti procerus equo, atque ingentibus armis
Aurato in sagulo, et villosi pelle leonis
Instratus latos humeros, qualem isse loquuntur
Spectatum in duris venatibus Oriona.
Additur Alphonsus juvenum pulcherrimus, uni,
Cui cessit pharetramque, arcumque, et tela Cupido,
Mollia ut hamatis nympharum corda sagittis
Figat, et in teneras habeat jus omne puellas:
Miserunt, Veneri domus acceptissima, Senae.
Magnanimusque Cibo, carae generosa sororis
Progenies, tua cura Leo, cui fata deusque
Promittunt rerum frenos, et sceptra paternus
Quae quondam bene rexit avus. Tum digna dicabit
Ipse tibi templa, et meritos sacrabit honores,
Teque colet positas Florentia mater ad aras.
Venit Aragonius stirps regia, regius ardor,
Quique alio a sylvis ultricia transferat arma,
Si magis aequa velint felici tempora cursu.

Adfuerat, sociosque vigil praecesserat omnes,
Qui tantos procerum coetus, ipsumque Leonem
Accepturus erat tectis atque hospite mensa,
Romanae decus aeternum Farnesius aulae.
Ingens praeterea numerus, comitesque, ducesque,
Primaevique ruunt equites, et odora canum vis,
Et jacula, et latos quae cingant retia saltus.
Tum vero ingenti strepuerunt cornua cantu,
Visus et innumeris rumpi latratibus aether.
Iamque simul iunctis exercitus undique turmis
Ibat ovans. Medio venerabilis agmine fertur
Laeta fronte Leo, et socios supereminet omnes.
Qualis ubi aetherea genitor secedit ab arce,
Exacta rerum cura, missoque senatu,
Aethiopumque domos, gratissima regna, revisit,
Vel Cretam, natale solum; quem numina magno
Circumfusa tegunt studio: vult quisque deorum
Proximus esse Iovi. Tum vultu clara sereno
Laetitiae dat signa pater, gestire videntur
Omnia, qua superum flectit vestigia rector.
Est locus, hunc vulgo Palietum nomine dicunt,
Sylva frequens iuncis, et arundine densa palustri,
Quae latebras, et lustra feris gratissima praebet.
Ipsa ingens, nullique hominum bene pervia, quo se
Frigoribus mediis, et iniqui sidere coeli
Undique vicinis de montibus agmine facto
Innumeri condunt meliora ad pabula cervi,
Fulmineique sues, et amantes ardua damae.
Qua videt occasum, gelida prolabitur unda
Arminus, et tuscum liquidissimus exit in aequor.

At qua purpurei nascentia lumina solis
Spectat, inaequali tollunt se vertice montes,
Arvaque lata patent, pecori locus aptus alendo.
Nimbosi de parte noti pulcherrima longe
Planities, cultisque ferens cerealia sulcis,
Munera inexpleti votis maiora coloni.
Huc ubi iam ventum, cinctique indagine campi,
Quisque suum sortitur opus, pars retia servant
Intentique tenent gemino venabula cornu:
Hortantur pars voce canes, tacitisque latentes
Excutiunt tectis in rura patentia cervos.
Ut quondam magno saevi discrimine belli
Ductores ubi castra locant, hi ducere fossas,
Hi portas munire parant, pars figere vallum,
Certatim incumbit sua quisque ad munera miles.
Iamque catervatim, crebris latratibus acti,
Erupere feri, trepidoque per aequora cursu
Lata ruunt, hinc admissis atque inde juventus
Fertur equis, volat infesta Cornelius hasta,
Praecipitemque agitat per plana, per ardua turbam.
Nec mora, nec requies; nunc hos, nunc cursibus illos
Praeterit, insequitur sociis comitantibus ardens
Hippolytus, rapidosque instigat voce molossos.
Undique densantur magno clamore cohortes,
Pallantumque gregem canibus jaculisque sequuntur.
Hic unum ante alios cursu nemora alta petentem
Urget equo, jam jamque premit, jam vulnerat hasta
Hippolytus, fugit insano pernicius euro
Auribus arrectis quadrupes, ramosaque tergo
Cornua procumbunt frondentibus aemula truncis;

Aspera cum montis subeuntem et tuta petentem,
Sidonio praevertit equo, pavidumque retrorsus
Cogit agens; oritur clamor; tum percitus acri
Turbine conjectum transfixa per ilia ferrum
Exigit, et media moribundum extendit arena.
Ast alius dum saeva canum fugit agmina cervus,
Et rapidus campum cursu transmittit, et alto
Spicula venantum superemicat obvia saltu
Attonitus, nimiaque oculos formidine captus,
Non vidit positos nota ad divortia casses.
Qualiter infidam vitat dum nauta Charybdim,
Infamesque timet scopulos, tum vela retorquens
In Scyllam cadit, atque avido sorbetur ab aestu.
At non victa dolis volucri magis incita vento
Cerva, sed ingentem dum pervolat ignea campum,
Et repetit sylvam canibus post terga relictis,
Praesulis ante pedes regali fixa veruto
Sensit Aragoniae fatalia vulnera dextrae.
Ille ferum voluisset aprum, vel saevius apro
Si quid habent densis nemorum secreta sub umbris.
Ridendis ibi multa modis dum dicit agitque
Tela manu vibrans, et segnem calce fatigat
Quadrupedem, iratus mula Marianus inerti
Limosae parvum in foveae delapsus hiatum
Pronus in ora cadit, sellaque excussus ab alta,
Et madida revolutus humo deformia turpi
Sustulit ora luto: proceres risere cadentem,
Armaque in immunda jactantem foeda lacuna.
Praecipue simulator opis dum Pactius illum
Pressat humi super incumbens caenoque volutat

Nequicquam famulos suprema voce cientem.
Interea ex alia fervescit parte juventus,
Plana loci facies pluvium qua spectat in austrum.
Hic Baliusque, Ciboque ferox, ille eminus hasta,
Cominus hic gladio, latis dant funera campis,
Attonitique cadunt vario discrimine cervi,
Saucius hic jaculo, missa procul ille sagitta.
Huic vitam rapuere canes, hunc retia captum
Non praevisa tenent, solitas dum pulcra latebras
Cerva petit, sequiturque alacri violentius euro
Ascanius, rapidoque vorat lata aequora cursu,
Barbarico praevenit equo, pavidamque retorquet,
In partesque premit varias, perque omnia versat,
Donec in aspectu, summique ante ora Leonis
Amisitque fugam, et rutilanti concidit ense,
Hoc felix, actoque ruens per viscera ferro,
Non ingrata dedit tanto spectacula regi.
At non est tali gavisus nomine, quamvis
Fortis equo, sumptisque minax Serapitius armis;
Nam dum praecipiti fugientem turbine cervum
Huc illuc conturbat agens, centumque fatigat
Flexibus, objecto tardatus murice praedam
Perdidit, ille gerens septenis ardua ramis
Cornua, pernici transmisit retia saltu,
Elusitque hostem, et tesquis se condidit altis.
Hic jaculo cervum Anselmus, cervam ense Grapaldus,
Fundit humi, capram contorta cuspide Pollux.
Gloria magna fori Pollux, non parva Grapaldus
Gloria musarum, facilis concessit Apollo
Anselmo historias, salsisque epigrammata verbis:

Capreolum Nardus tenero formosus ab aevo,
Nardus amor vatum, et parvi pia cura Molossi.
At qua parte vago sinuantur flumine ripae
Latratuque canum, atque hominum clamoribus acti
Miscentur, timidique ruunt in retia damae,
Capreolique imbelle genus, quibus una salutis
In celeri spes nata fuga; nam cornua cervum
Saepe iuvant, haec ad solam pecora edita caedem.
Hic timidi lepores, teneris solatia nymphis,
Diverso eludunt flexu varioque reflexu,
Perque canes hominesque vagi fugiuntque ruuntque.
Contento pavidos agitat pulcherrimus arcu
Alphonsus, crebrisque ferit fugitiva sagittis
Terga sequens, magnis resonat clamoribus aether,
Saxorumque offensa cavis vox ipsa remugit.
Huc Scythico Parmensis equo, doctissimus idem
Albineus vates primo mihi iunctus ab aevo
Advolat, et strictum pecora inter inertia ferrum
Dum rotat, elapsum rabidis videt ire molossis
Longius ingentem spatiosa per aequora cervum.
Non tam praecipiti rapitur per inania lapsu
Alpinus boreas, rigidis dum destinat ornis
Exitium stragemque ruens, quum fulminis instar
Incitus, assequitur fugientem et nota petentem
Fluminis, et ripa medium transfixit in ipsa
Ardenti furibundus equo. Tum plausus ovantem
Excipit, accurrunt socii, praedamque reportant.
Atque ea dum medio spectat certamina campo
Et varios hominum cursus casusque ferarum
Excelsa de sede Leo, speculatur et una

Laetus et augusto ridens Farnesius ore,
Ecce volutabris pulsum silvestribus aprum
Urget in indomitos vis infestissima tauros
Corsica turba canum, formidandique lacones.
Ipse ingens, vasto spumas vomit ore furitque
Dentibus infrendens, et saeva fulminat ira;
Horrescunt, totoque assurgunt corpore setae.
Hunc Therone satus, transalpinaque Lycisca,
Dum petit Arctophonos, dextra insidiatus ab aure
Extremam ad clunem levo divisus ab armo
Sternitur, ille feros toties spectatus in ursos
Sternitur, et lybicis pugnare leonibus audax
Nuper chaonio qui venerat orbe Melampus.
Diffugere metu exangues cretensis Iola,
Santonicusque Trisas, maguntiadesque Philoenus,
Et timidos solitus lepores agitare Libascus:
Quos simulac turpi captos formidine vidit
Imbelli dare terga fugae, trepidosque referri
Huc rapit, ut varia brutorum caede madebat,
Silvarum terror debellatorque ferarum
Spumantem Federicus* equum, nec segnior illo
Fertur Ammonius, post hos densissima pubes
Sfortia, et egregias animi bene natus ad artes
Durantes, tulit hunc saevo nimis obvia gallo
Brixia, et affatu facilem et prodesse paratum
Omnibus, et nullas tegeret qui pectore fraudes.
Ast illum ad duri certamina Martis et iras
Indomitas gelida misit Trasymenus ab unda,
Infractumque animi juvenem, ignavique pavoris
Nescium, et adversis prudentem occurrere rebus.

Cletus Abantiades, atque Iliades Policletus,
Crinibus hic flavis, crispos niger ille capillos,
Nobilis hic jaculo, celeri bonus ille sagitta,
Sarnusque, Hersiliusque, et bello clarus Amyntas,
Romulidesque Matho fandi promptissimus author,
Petiliusque ingens, Santoniadesque Sabellus:
Hic propius gladio, longa procul ille sarissa
Instat agens, fremit aetholo magis aspera monstro
Bellua, perque canes, infestisque obvia telis
Agmina, spumantique feros rotat ore laconas.
Huc illuc rapidum ferrato calce veredum
Concitat, ac stricto volat imperterritus ense
Sfortia, et iratum votis petit omnibus hostem.
Huc sardo delatus equo Farnesius ibat,
Decepto custode, puer, quum lata secantem
Aequora prospiciens, effusisque actus habenis
Consequitur, pavidusque nequit retinere magister,
Ni faciat, ni bella puer tam saeva lacessat.
Macte animi, tibi crescentes si Iuppiter annos
Proroget aspiciens, per te recidiva resurget,
Accipietque domus majus Farnesia nomen.
Tum qui venanti parvas tibi suggerit hastas,
Ille etiam comes aonias tibi fidus ad artes,
Sylvarumque sciens Niger, et componere solers
Iamdudum antiquis certet quod laude poetis.
Sanguis amorque meus Niger, et probitatis imago
In tua se totis praeconia viribus addet,
Æternumque suo te carmine mittet in aevum.
Nunc quoque non timidus pulcro tibi dicere versu
Quae cui grata Deo, referat quos arbor honores

Postera quod carmen nunquam damnaverit aetas.
At bonus in medio dum laetius agmine praedam
Insequitur, palmamque sibi certaminis optat
Implicito revolutus equo, fortissimus heros
Pressit Ammonius limosam corpore terram.
Accurrunt famuli, dominumque in sede reponunt
Ora sibi immundo tergentem perlita coeno.
Proxima vallis erat silvestribus invia dumis,
Arctois obversa plagis, non longius inde
Desiluit festinus equo Federicus, et ardens
Ferratam rapuit nodoso robore cornum.
Ipse pedes, saevoque ingens fuit obvius hosti,
Quem simulac vidit catulis stimulantibus asper,
Irruit intorquens spumantia turbidus ora.
Ille velut medio rupes immota profundo
Haesit, et adversum praetenta cuspide monstrum
Excipit, et levum venabula condit in armum.
Incumbunt morsuque canes jaculisque juventus.
Ilicet ingeminant adductis vulnera dextris:
Huc illuc rotat ille caput, rostroque cruentus
Fulminat, infixaeque urgens obnititur hastae.
Stat contra magnaque adversus mole furentem
Sustinet incumbens animis praesentibus heros.
Nec prius educit tepidum de vulnere ferrum,
Quum vacuis defessus aper jam sanguine venis
Sternitur, et vasto tremefacta pondere terra
Effugientem animam tenues efflavit in auras.
Tum vero juvenum plausu et clamore supini,
Et laeto juvenum et populi clamore frementis
Pulsantur montes et concava saxa resultant,

Praecipitesque vago responsant flumine ripae.
Mirantur proceres, et quae studiosa videndi
Turba ruit, stupet ipse Leo, magnumque laboris
Herculei commendat opus, jacet undique telis
Perfossum, et vasto metuendum corpore monstrum.
Talia dum latis fervent certamina campis,
Exierat vulpes ab operto foeta recessu
Latratu pavefacta canum, silvasque petebat
Occultam meditata fugam, quum tramite caeco
Ipsa suis decepta dolis in retia venit.
Vidit, et implicitam rapuit sine vulnere praedam,
Et rediit capta contentus vulpe Philoenus.
Rursus in obscuram juncis et arundine silvam
Immissi latrare canes, et rumpere coelum
Vocibus, ingentique nemus strepere omne tumultu.
Ite viri, Federicus ait, certumque capessat
Quisque locum, validasque arment venabula dextras:
Venandi longo si quid profecimus usu,
Inventos furor iste canum bacchatur in apros.
Vix ea fatus erat, quum bis septena ferorum
Corpora magna suum penetralibus eruta coecis
Non uno erupere loco, venientibus illis
Densa tremunt, vastoque sonant virgulta fragore,
Ut campo fera tempestas se fudit aperto.
Huc omnis conversa manus. Tela undique totis
Viribus acta volant. Non ullum lorea tardant
Vincla canem, furit immissis equitatus habenis.
Hic rapido spumantis apri caput abstulit ense
Dardanus, aoniae cui concessere sorores
Quantum ulli nostris non concessere diebus,

Ducat ut auritas ad dulcia carmina quercus,
Et pronas ut sistat aquas, et mulceat ursos.
Tum quoque fulmineum cantu pellexerat aprum.
Maximus exoritur clamor, fugiuntque ruuntque
Setigeri gregis infestis animalia telis.
Hic cadit in laqueos, duroque hastilia tergo
Excipit; implicitusque animam cum sanguine fundit.
Ast alium medio peditum manus aspera campo
Sternit humi, perit ille canum per vulnera mille.
Libera non ulli patuit fuga. Dum parat unus
Fluminis obiecti rapidum tranare per aequor,
Gurgitis in medio iaculis hinc inde petitus
Mergitur, effusoque rubet levis unda cruore.
Hos inter proceres saevarum clade ferarum
Et volucri spectatus equo, spectatior armis
Phorcynus iuvenis Bossi de sanguine ad altum
Editus Arquatum, gelidi prope flumina Lardae
Hystricis occursu festinabundus anhelo
Desultavit equo, et pedibus cursuque secutus
Horrentem longe et contento spicula tergo,
Inque ipsum perque ora canum procul eiaculantem
Occupat, et sagulo iniecto convolvit, et alte
Implicitum rotat, ac pedibus per vincula nexis
Ingentes inter fremitus plaususque suorum
Raptat ad excelsum, praesagia magna, Leonem.
Et iam tempus erat medio cum Phoebus ab axe
Pronior occiduas cursu festinat ad undas,
Sublimi de sede Leo cum talia fatur.
Vota pios habuere Deos, lux prospera nobis
Ista fuit, proceres, primo quae solis in ortu

Tristior et nimbis atrox, et grandine saeva
Mutavit faciem, vultusque induta serenos
Lenior affulsit vernoque simillima soli:
Sic faciles superi non desperantibus adsunt.
Sat iaculis canibusque datum; sat magna peracta est
Brutorum caedes; stricto iam parcite ferro,
Et pariter rapidos vinclis cohibete molossos.
Quod praedae superest alium servetur ad annum.
Haec ubi dicta dedit, laeto placidissimus ore,
Imperat ad celeres litnos inflare recessus,
Et tolli iam castra pater. Tum cornua raucis
Increpuere sonis, sublataque retia, et omnes
In coetum coiere manus, iamque ordine longo
It campis delecta cohors, praedamque reportant.
Qualis ubi edomito miles romanus Araxe
In patriam redit, et spoliis orientis onustus,
Laeta triumphatis repetit capitolia Parthis.
Valle sedent parva modico superaddita saxo
Moenia, quae vulgo Thusci dixere Caninum;
Ubere laetus ager, tum Palladis arbore felix.
Ius habet omne loci Farnesius, atque ibi late
Imperat, et miti populos ditione tuetur,
Dives opum princeps, et largo splendidus usu.
Huc ubi venatu fessae rediere catervae,
Ingressusque Leo vulgi plaudente corona,
Hospitio laetus Farnesia tecta subivit,
Pars levat ante focos torpentia frigore membra,
Pars victu revocant vires, et dulcia plenis
Promunt vina cadis; media Iordanus in aula
Raucisono numerosa canum vocat agmina cornu,

Ingentemque in frusta secat per viscera cervum,
Participesque facit praedae, quicumque sagaci
Nare valet, quicumque fuga, sociosque laboris
Solatur merita captarum carne ferarum,
Rixantesque minis, et adunco fuste coercet.
Ipse inter primos curarum oblivia quaerit
Non tristi sermone Leo, iuvat acta referre
Praelia, quis iaculo melior, quis fortius acri
Usus equo, quae palma canum, cui gloria praedae.
Inter se vario quae dum sermone loquuntur,
Caeruleis invecta rotis nox humida coelum
Clauserat, accensis lucent vacua atria lychnis.
Aureaque intextos pandunt aulea triumphos.
Magnorum hic monumenta virum, pugnataque bella,
Invictique duces, Farnesia nomina longe
Ductà micant, clarosque ostendunt gentis honores.
Et iam tempus erat positis discumbere mensis,
Convenere omnes, manibus data lympha, sedentque
Prima fronte Leo, tum lecti ex ordine patres.
Fercula succincti iuvenes cereremque ministrant,
Atque iterant dulci spumantia pocula Baccho.
Fit strepitus tectis, pandas lautissima lances
Distendunt, latasque onerant obsonia mensas.
Vescuntur laeti proceres et dulcia siccant
Pocula, quae Gradulae felicibus optima saxis
Cocta legunt, et quae facili terra apta Lyaeo
Mittit ab extremo devexi culmine montis
Ischia, quae parvi Celeres, piscosaque Marta,
Quaeque Valentani ventosa cacumina fundunt.
Finis erat laetis dapibus, divisque secundis

Mellea libabant vario bellaria luxu :
Iussus adest Marius, citharaque hic personat aurea.
Ut nemus in densum venatu fessus, et aestu
Dum subit, et latices gelidarum quaerit aquarum,
Nudatam in liquido spectarit fonte Dianam
Inscius, ah fati Acteon damnatus iniqui;
Utque suis, quibus ante feras agitaverat, ipse,
Sit datus in praedam canibus, longeque per altos
Dum fugeret montes, illi sequerentur euntem;
Saepius ut trepida conatus dicere lingua,
Acteon ego sum, dominum cognoscite vestrum,
Absona reddiderit pro veris murmura verbis.
Tum canit, ut liquidis ripis genialibus Arni
Laetior exierit lauri de germine palmes,
Tempore qui parvo ramis feliciter auctus
Exhibeat latiis gratas pastoribus umbras;
Tum longo tendens ingentia brachia tractu
Subter labentes Arni complectitur undas,
Dulcibus hospitium nidis, quicumque liquentes
Edunt voce sonos et cantibus aera mulcent.
Phoebus adest custos, importunasque volucres
Hinc abigit, sacrisque vetat considere ramis.
Talia dum laeto referuntur carmina plausu,
Attigerant medium labentia sidera coelum,
Et dare iam molli suadebant lumina somno :
Digressi proceres sua quisque in tecta recedunt,
Membraque componunt stratis, fessique quiescunt.
Postera luciferos Phoebi praecesserat ortus,
Abstuleratque graves terris aurora tenebras;
Consurgunt, summique omnes ad limina regis

Conveniunt, coetu pariter studioque frequentes.
Hic superis dat vota Leo, precibusque litatis,
Tollunt castra duces, atque hospita tecta salutant.
Migrantes fausto sequitur clamore iuventus.
Hinc decima egressos tandem lux intulit urbi,
Ingenti laetos praeda spoliisque superbos
Sylvarum et iusti subeuntes more triumphi.
Undique visendi studio populariter omnis
Plebs effusa ruit, magnorum ingentia centum
Corpora cervorum mediam delata per urbem
Traxerunt totam grata ad spectacula Romam.
Obstupuere omnes, duris horrentia setis
Terga suis, tantaeque rogant cui gloria praedae
Cesserit, immani quis se se opponere monstro
Ausus, et herculei famam superare laboris.
Tum vocat in coetum proceres Leo maximus, et sic
Verba facit placido incipiens mitissimus ore.
O socii, neque enim vestro quaesita labore
Uni praeda mihi, vos haec captiva referte
Corpora, et ad sacros suspendite cornua postes:
Haec potius sint vestra, satis vidisse Leoni est.
Sic fatus, praedam socios partitur in omnes,
Donatique duces sua quisque in castra recedunt,
Atque intermisso redeunt ad seria ludo.

FINIS PALIETI.

IN NUPTIIS P. ALUISII FARNESII ET HIERONIMAE. (a)

Quisquis adest, bona felici ferat omina lingua,
Tamque pares animis similique aetate maritos
Non oculo quisquam, non tristi fascinet ore.
Laetus adest celebratque suos Hymenaeus honores,
Pierii regina chori nubentibus adsis
Calliope: gaudet praesente atque auspice musa
Coelestis musae felix soboles Hymenaeus.
Tu quoque, quid sit amor, quid sint connubia nosti,
Quique feras cantu tenuit tibi filius Orpheus,
Quique vocat, colit ille tuas Aluisius artes,
Et primos cum laude puer tibi tradidit annos.
Dulcis amor facilisque sacras concordia taedas,
Ipsa ferat, faustoque volens praeluceat igne.
Tu dextrum nova nupta pedem trans limina pone,
Haec tibi certa domus, proprios cognosce penates:
Ingredere, et matris venerabile nomen adopta;
Vir patris accipiet, tali vos foedere iungi
Gaudet Hymen, iucundus Hymen, felix Hymenaeus.
Te summi matrona Iovis, te pronuba Iuno
Coniugis in cari thalamos, Hieronyma, sistit.
Hic ubi de molli viola, de vellere serum
Ipsa thorum vobis stravit Venus, et super omnes
Veris opes plenis effudit laeta canistris,
Qualem Diva thorum stravit cum candida Peleo
Nupta Thetis cultum pestani dote roseti.

(a) Erat haec Hieronyma Ursinia filia Comitis de Petigliano.

O felix toties, bone lectule, quis tua possit
Gaudia, quis dulces numero comprehendere lusus?
O superis dilecta deis, o grata deabus
Tali iuncta viro, sibi quem pulcherrima quaeque
Si sapiat, regina velit cupiatque maritum,
Formosum, genere antiquo, et praedivite censu.
Qui Phaetontei rapidas prope fluminis undas
Pugnaces dum flectit equos, dum fulminat armis,
Seque parat marti, dextramque in praelia tentat,
Torsit amore tuas, scis tu Ferraria, nymphas,
Et faciles animos mediis accendit in undis.
Sed memori dum mente tuos suspirat amores,
Quas non ille deas, quos non contempsit amores
Devictus raptusque tuis, Hieronyma, flammis?
Iure quidem, neque enim formam tibi praeferat ullam
Vir, regina, tuus, nec se tibi comparet ulla,
Cui dotes Venus ipsa suas, cui Gratia linguam,
Cui dederit mores solers et casta Minerva.
Felices iterum atque iterum, quae commoda vobis
Promittunt superi! Videor iam vestra videre
Pignora, pendentesque patris circum oscula natos.
Iam vestro e gremio stellis felicibus infans
Dulcis avi requies, dulcissima cura parentum
Ridet Alexander roseo pulcherrimus ore.
Iam visu cognoscit avum, iam voce salutat.
Sed vos, dum bona fert aetas, dum veris in ipso
Flore vigent anni, facilem exercete iuventam,
Et lapsi generis tantas sarcite ruinas,
Ne domus ipsa suae desit Farnesia Romae.
Hoc agite; alato rapiuntur tempora cursu
Quaeque semel lapsa est, nunquam revocabitur aetas.

EX LIBRO SECUNDO

ELEGIAE

IN NUPTIIS P. ALUISII FARNESII ET HIERONYMAE.

Dic aliquid, bona Terpsichore, tua munera sunto
    Dicere quod risum laetitiamque ferat.
Tu potes insanas in gaudia vertere curas,
    Et grave sollicitae tollere mentis onus.
Incipe quae sumpto modulabere carmina plectro,
    Nil nisi iucundum, nil nisi dulce sonent.
En tuus Idalia redimitus tempora myrto
    Ridet, et ex omni parte citatur Hymen.
Audit Hymen, responsat Hymen, percussa resultant
    Atria praesentem testificata deum.
Petilianaei soboles Hieronyma regis
    Ipsa suo nubit candida Nympha pari.
In medium procede puer, Farnesia proles
    Aluisi, coniux ista puella tua est.
Ista puella tua est; tuus est puer iste, puella,
    Ambo pares annis, ambo in amore pares.
Perge Dea, et tactis dic carmina dulcia nervis,
    Festivos laeti vos agitate choros.
Laetus eat sine nube dies, et saeva quiescant
    Flamina, nec vasti murmuret unda maris.
Classica nulla sonent, et agat ferus otia Mavors,
    Nec misera latiam caede cruentet humum.

Induat omniparens vernos sibi terra colores ,
    Accipiatque suas frondea sylva comas.
Libera securos errent armenta per agros ,
    Nec timeat rabidos agna novella lupos.
Non avibus liceat , non retia tendere cervis ,
    Pax coelum et terram , oceanumque colat.
Pacis amator Hymen , tristes discedite lites ,
    Dulcis adest festa pace colendus Hymen.
Spargite purpureos formosi veris honores ,
    Spargite puniceis lilia iuncta rosis.
Accipiant sua dona lares , sua munera Iuno ,
    Placatis veniant cuncta secunda deis.
Vos iuga felici sub connubialia fato
    Ite : dedit faustum prospera carmen avis.
Iam video , Aluisi , dulces tua pignora natos
    Obvia conspecto basia ferre patri.
Iamque resurgentem Farnesia nomina pubem
    Inter honoratos nomina clara duces.
Hic erit ingenti qui marte Ranutius olim
    Proterat invicta barbara castra manu.
Ille triumphali scandet Capitolia curru
    Conspectus niveis Angelus alter equis.
Alter Alexander, magno qui robore mentis
    Pontificem tanto nomine reddet avum.
Non illo quisquam toto felicius aevo
    Libera sub placida saecula pace reget.
Ille erit antiquum qui ferrea mutet in aurum
    Tempora , qui mores iustitiamque colat.
Tunc alimenta dabit felix sub vomere terra ,
    Plenaque nectareis flumina mellis erunt.

Noxia cessabunt facientes frigora venti,
Et Zephyro semper verna tepebit humus.
Tunc vivent sine fraude homines, sine caede, nec ullus
Insidiosarum tunc erit ardor opum.
Dulcis Amor sua iura dabit, tum crimine nullo
Festa coronatus carmina dicet Hymen.
Gramineos per prata thoros, muscosa per antra
Sternet amatori quaeque puella súo.
Ipsi cum Nymphis sylvestria munera Fauni
Ducent lascivos laeta per arva choros.
Haec consulta Dei pleno fecere Senatu,
Quorum quisque libens, haec rata, dixit, erunt.
Hic tibi casta Venus pulcros Hieronyma gestus
Contulit, et vultus dona beata sui.
Ut quicquid faceres, quicquid loquerere, deceret,
Cederet et formae quaeque puella tuae.
Tum Petrus in longum virides Aloisius annos
Proferat, Alcidae nobilis uxor ait.
Proferat et coniux, et sint rata munera utrique,
Seraque, cum venies, laeta senecta veni.
Vos autem matura thoris cum venerit aetas,
Dulcia de plenis carpite mella favis.
Exigite in teneris faciles complexibus annos,
Et veterem multa stirpe novate domum.
Interea celebretur Hymen, vos terque quaterque
Dicite Hymen, dictus rite favebit Hymen.

CXXXII

RANUTI FARNESII AD URBEM ADVENTUS.

Moerebant Nymphae Tiberitides, et pater ipse
    Albula lugubres tristis habebat aquas.
Nulla animos hominum poterat mulcere voluptas,
    Inque odio risus, et iocus omnis erat.
Cyprida non latuit taciti moeroris origo,
    Nam quid erit, quod non sentiat alma Venus?
Senserat illa Parim tenero succumbere amori,
    Cum geminas vicit, sola probata, Deas.
Quid sapere affectas? servit sapientia regno:
    Sat tibi sunt Priami regna potentis, ait.
Convenit una tuis Helene pulcherrima votis;
    Haec, ego si vinco, me tibi dante, tua est.
Cui Paris: una duas vincis, me iudice, divas,
    Atque ideo munus hoc Dea, dixit, habe.
Ergo sollicitos faceret quae causa Quirites
    Gnara, dedit nato iussa ferenda Venus.
Vade age, et ut redeat fac nate Ranutius, inquit,
    Quid, rogo, tam multos gaudet abesse dies?
Quid tantum Gradulas, quid Varrentana frequentat
    Tesqua? quid in solis desidet usque locis?
Nil cunctatus Amor matris praecepta facessit,
    Et compos voti reddita Roma sui est.
Exoptatus adest, cupidaeque Ranutius urbi
    Aspectu renovat gaudia mille suo.
Ipse pater canos redimitus arundine crines,
    Dulcia cum Nymphis tempora Tibris agit.
Testantur laeti communia gaudia plausus,
    Testatur tota plurimus urbe iocus.

Non aliter roseos Phoebus cum sustulit ortus,
Ridet discussa nube serena dies;
Et resonant variis avium concentibus agri,
Ludit et emissum laeta per arva pecus.
It puero coniunctus amor, coniuncta venustas,
It simul augusto regius ore decor.
Dignaque maiestas populi spectantis honore,
Qualis in aeternis creditur esse deis.
Felicem decies, tam pulcra prole, parentem,
Unanimi dicunt foemina virque sono.
Dignum Romanas nutu qui temperet arces,
Optatum ad finem quod, precor, omen eat.
O prius ille meas contingat nuntius aures,
Extremum claudant quam mihi fata diem.
Tunc ego depositis possum iuvenescere canis,
Et fieri, senio diffugiente, puer.
Fac precor, alma Venus, cari tutela Ranuti,
Debeat hoc meritis Martia turba tuis.
Da simul id, quod diva potes, quod Roma precatur,
Ne sit ab hac tantus tam procul urbe puer.
Hic potius velit esse diu, populumque Quirini
Ante alios, a quo solus amatur, amet.
Sic tibi sit fidus concordi foedere Mavors,
Tardaque sit sacris nulla puella tuis.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Senserat in sylvas Farnesia castra redire
 Delia, et hirsutis bella iterare feris.
Ilicet armari socias iubet, et facit omnis
 Nympha, nec auditae iussa morantur herae.
Colligit ipsa sinus, pharetramque assumit et arcum,
 Ante tamen soccis candida crura tegit.
Qualis ad Alcidem Nemeaeia monstra petentem
 Sponte sua fautrix dicitur isse Dea.
Umbrosum nemus est, Arlenam nomine dicunt:
 Silva magis densas non habet ulla feras.
Huc ubi successit sumptis Farnesius armis,
 Et posuit certis agmina fida locis,
Laxatique canes, et missus ad aethera clamor
 Excivit trepidum lata per arva pecus;
Protinus abstrusis excussa animalia lustris
 Hac illac dubio coeca pavore ruunt.
Sternitur incursu vastarum sylva ferarum,
 Quas premit ingenti concita turba sono.
Advolat infesta iuvenis Farnesius hasta,
 Et requiem pedibus missilibusque negat.
Figit aprum sternitque lupum, praedaque feroci
 Laetior imbelles non petit ille feras.
Instat agens omnis ductoris imagine coetus,
 Et furit in timidum laeta iuventa gregem.
Non iaculis modus ullus adest, non ulla sagittis
 Regula, perfuso tesqua cruore madent.
Nescit adesse deam coeptis Farnesius istis,
 Illa procul densa condita nube latet:

Et petit inde feras tortis non visa sagittis,
Et pereunt cunctae, quas petit ipsa, ferae.
Obstat ad egressus Nympharum turba, viasque
Impedit, attonitis effugiumque negat.
Caeduntur lepores, patiuntur funera cervi,
Nec fugit instantem territa dama necem.
Quis nnmerare queat brutorum corpora caesa?
Nulla fuit, quae non fixerit hasta feram.
Quae pater excelso speculatus ab aethere Mavors
Dixit ad adstantes talia verba deos.
Hic puer est, tantos cui promisistis honores,
Et meritas latae cui ditionis opes.
Cuius ad arbitrium vivat Gangetica tellus,
Clavigera mundum patre regente manu.
Vos illi servate fidem, servare potestis,
Et decet aeternos fraude carere deos.
Dixerat, extremum cum iam declivis in orbem
Phoebus in aequoreas igneus ibat aquas.
Tum dea castarnm coetu stipata sororum
Cessit, virgineum nocte vocante chorum.
Sic data pax brutis, sic exagitata quierunt
Agmina, sic iussi vincla subire canes.
Tum laeti praeda iuvenes, regemque canentes,
Et tonsum vincti fronde virente caput,
Vallibus e mediis ad martia castra reversi
Se decus ad verum, duraque ad arma parant.
Et meditantur equis, et stricto praelia ferro,
Terribili pubes iam metuenda Getae.
Illustres animae, divini signa vigoris,
Fortis, et a nullo victa labore cohors.

Non vos pigra iuvant iactatis otia talis,
    Nec tenet apposito nigra taberna mero.
Cura procul Veneris, procul insidiosa voluptas,
    Et somni molles desidiaeque procul.
At grave martis opus, curae, duriqne labores,
    Et brevis hiberno sub Iove rapta quies.
Sola Ceres, puro capti de flumine potus,
    Non exquisitis ebria mensa cibis.
Ite per hunc callem, per quem Iovis inclita proles
    Aurea difficili venit in astra via.
Sic deus est factus Romanae conditor urbis,
    Sic cum fratre suo sidera Castor habet.
Vos quoque longa manent meritae praeconia famae,
    Quae referant memori posteritate senes.

AD ALEXANDRI FARNESII NEPOTEM.

Carminibus votisque diem celebravimus illam,
    Quae tibi spectandae lucis origo fuit.
Hanc quoque, magne puer, qua suscipis auspice nomen,
    Officio vacuam non decet esse meo.
Sed tibi dum vario fervent spectacula lusu,
    Sudat et in medio nuda palestra foro;
Dum placidi iuvenes, teneraque aetate puellae
    Dant Gaditanos ad sua nabla choros,
Armataeque manus simulato marte feruntur,
    Omine te magnum significante ducem:
Ipse meo, qua parte datum, tibi carmine plaudam,
    Sint utinam tali carmina digna loco;
Quaeque tuus non damnet avus, quae indicet apta

Natus et ad musas, natus ad arma pater.
Nec piger ad pugnam durum qui provocet hostem,
Et ferat invictas marte favente manus.
Qui cum pene puer superet virtutibus annos,
Ad decus et famam iam tibi monstrat iter.
Cresce puer felix tanti genitoris imago,
Gaudia magna patri, magna daturus avo.
Iam mihi certa tuae subeunt praesagia laudis,
Maxima iam video te duce bella geri.
Iam clipeum galeamque tibi, iam porrigit hastam
Ipse sua Mavors dona superba manu.
Accipe quae tractes, tibi cum redeuntibus annis
Firmius accepto robore corpus erit.
Accipe Alexander coelestia munera laetus,
Ut facias quae sint nomine digna tuo.

AD FARNESIUM.

Quod tristi me fronte vides, fortasse requiris,
Moestitiae fuerit quae mihi causa novae.
Non mihi maturas segetes Iovis abstulit ira,
Laesa nec est nimio vinea nostra gelu.
Ereptum moeremus equum, quo nuper adempto,
Cuncta bona heu misero sunt mihi visa rapi.
Mitis erat, mollique gradu, patiensque laboris,
Ipsum cum socio saepe ferebat herum.
Non magis immoto resideres corpore, si te
Concava per placidam duceret alnus aquam.
Non ullum morsu, non ullum calce petebat,
Doctus inoffenso flectere crura pede.

Adde quod aptus erat palea pinguescere sola,
    Tam bene felici praeditus ore fuit.
Quos ego non superos votis et thure rogavi,
    Unicus ille mihi vector ut esset equus?
Sed quid vota iuvant? quid prodest thura dedisse?
    En desideriis exuor ipse meis.
Hoc ego non doleam? non haec mihi semper acerba,
    Pectore nec placido damna ferenda querar?
Unde mihi talis tam fortis habebitur unquam,
    Qui servire suo tam bene possit hero?
O male consultum misero mihi! quis deus in me
    Tam fuit iratus tam nocuusque mihi?
Heu genibus pedibusque meis, quid flere, Molosse,
    Desinis, et semper nocte dieque queri?
At tibi chare mihi sonipes sint omnia laeta,
    Et placidum felix experiaris herum.
Ne tibi perfossum lacerent calcaria ventrem,
    Et sedeat tergo mantica nulla tuo.
Hordea non desint, non desit copia lymphae,
    Detque tibi tenerum mollior herba thorum.
Nec cum longa tibi dentes produxerit aetas,
    Cogaris dominum servitiumque pati.
At tu moestitiae nobis qui causa fuisti,
    Parte aliqua pedibus consule, quaeso, meis.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Haec quae inscripta mihi est teneri mustela Ranuti,
Esse cupit, sed te non prohibente, tua.
Res est parva quidem, nec tanto principe digna;
Non tamen est penitus despicienda tibi.
Sunt qnae multa solent ideo pretiosa videri,
Aeternis quia snnt illa dicata deis.
Haec quaecumqne damus per se vilissima, certe
Nomine filioli sunt pretiosa tui.
Quod si dona facit superis accepta voluntas,
Sume, potest animo nil meliore dari.

MUSTELA RANUTI FARNESI PUERI SVAVISSIMI.

Delicium lususque mei mustela Ranuti,
Quam puero munus dnlce Cupido dedit.
Formosae Veneris nato qnam blanda fuisti,
Tam facilem domino te decet esse novo.
Scilicet ut miti ludas innoxia morsu,
In teneras nec te snscitet ira manus.
Est aliquid puero laetae placuisse Diones,
Non nihil est regi posse placere meo.
Si formosus Amor non est formosior isto,
Nascitur ille dea, natns et iste deo.
Carus Amor matri, spes est puer iste parentis,
Nec minus est illo melleus iste puer.
Dis iucundns Amor, terris iucundior iste,
Utque amor ille deùm, sic amor iste hominum.
Sorte tua felix dominum ne quaere priorem:
Delicium non es facta minoris heri.

Mutasti sedem, tecum fortuna remansit,
    Grata deo fueras, nunc quoque grata deo es.
Cum domino tibi mensa fuit, quo vescitur iste,
    Tu prior apposito pasceris ipsa cibo.
In tenero fovisse sinu te saepe Cupido
    Dicitur, in tenero te fovet iste sinu.
Saepe dedit sugenda tibi puer ille labella,
    Hic sugenda tibi bella labella dabit.
Spirat Amor blandum, rosei blanda aura Ranuti est,
    Spirat Amor violas, hic meliloton olet.
Iucundus cum ridet Amor facit aera purum,
    Istius a risu cuncta serena nitent.
Successus cognosce tuos, dominoque fidelis,
    Qua tibi parte datur, qua potes arte, place.
Conclamata veni, latebrisque amota recurre,
    Offendas dominum ne fugitiva tuum.
Qui si per silvas, per prata vagabitur olim,
    Lusum cum paribus dum solet ire suis;
Nympharum fraudem, et satyrorum furta cavebis,
    Ne fleat occultis proditus ille dolis.
Nec tibi tam placeat caecas habitare cavernas,
    Et vitam in solis ducere velle locis,
Ut culpa puer ipse tua tristatus oberret,
    Quaerendo latebras nocte dieque tuas:
Dumque iterat, mustela mihi carissima, ne se
    Affligat teneras ungue secante genas;
Sed potius tibi colludat, tecumque loquatur,
    Pontificem risu concutiente patrem.
Forsitan aeternum per saecula nomen habebis,
    Munere quo reges saepe carere solent.

Vivet in aeternum gratus tibi, Lesbia, passer:
    Vivet in aeternum, Stella, columba tua.
Tu quoque diceris teneri mustela Ranuti
    Perpetuo domini nomine nota tui.

DE MUSTELA RANUTII AEGROTANTE.

Laeta minus solito blandi mustela Ranuti
    Cur iacet, appositum nec capit ore cibum?
Non blanditur hero, non huc non cursitat illuc,
    Moesta sed effigiem pene querentis habet.
Corpore torquetur, tanquam per viscera serpens
    Saeviat interno pestis acerba dolo.
Sive est laesa manu, seu noxia contigit ore,
    Nescio quod magnum passa misella malum est.
At puer indignos lacrimis contristat ocellos,
    Oraque singultu tam veneranda quatit.
Deflet mane miser, deflet surgentibus astris,
    Nox veniens flentem, diffugiensque videt.
Ah! dominum ne cara tuum mustela relinquas,
    Ah! te ne in tenebras improbus orcus agat.
Sume cibum quem praebet herus, suge ista labella,
    Ista labella tuis sint medicina malis.
Omnis in his posita est pretiosi gratia floris,
    Inde Amor ambrosiam sumit, et inde Venus.
Dî, quibus est proprium puerorum cara tueri,
    (Talia si coelum qui tueantur, habet.)
Vos murina precor, vos numina mustelina,
    Delicias curae regis habete mei.
Auspicibus vobis puero sit salva voluptas,
    Ne careat lusu deliciisque suis.

Ne tam sidereos moestus corrumpat ocellos,
Assiduo teneras imbre rigante genas:
Sed potius vestras voti reus instruat aras,
Suspendatque sacris debita vota tholis.
Aurea ponetur vobis mustela, simulque
Cognita versiculis causa duobus erit.
» Sospitibus servata deis Mustela Ranuti
» In superos gratum testificatur herum.

DE MUSTELA RANUTI.

Gratia dis, mustela mei iam laeta Ranuti
Ludit ab ancipiti libera facta malo.
Iam puer a teneris lacrymas detersit ocellis,
Oraque iam nulla tristia nube gerit.
Felices pueri quorum sine fraudibus aetas
Numen habet votis auxiliare suis.
At vos promissas aris accendite flammas,
Et date sospitibus debita dona deis.
Iuppiter ex alto primos qui respicis annos,
Et tenerae curam simplicitatis habes,
Tu lucem praestare potes, certamque vocatus
Iam deploratis ferre salutis opem:
Da pater, ut cari sospes mustela Ranuti
Vivat, et in nullum decidat aegra malum.
Et tu sive manu, seu pastu laesa nocenti
Turbasti domino lumina cara tuo,
Posthac cauta vide, ne te furor acer edendi
Cogat ad ignotos caecius ire cibos.
Dum tibi per mensam licet huc transcurrere, et illuc,
Fercula ne tangas non tibi nota, cave.

Plurima non solitis vidi gustata nocere,
Et bona, sumantur si sine lege, nocent.
Appositis igitur moderatius utere rebus;
Saepe avidis facta est exitiosa gula.
Nec tibi cum turpi libeat colludere vulgo,
Non habet urbanas turba profana manus.
Cum solo si ludis hero, vexabere nunquam,
Hoc age, ne culpa lugeat ille tua.

AD ALEXANDRUM CARDINALEM FARNESIUM.

Ibis Alexander gelidum legatus ad axem,
Ibis, eo tecum publicus ibit amor.
Et pariter veniet facundae gloria linguae,
Atque animus rerum consiliique capax.
Ridebitque tibi placidi clementia coeli,
Temperiesque tuum verna sequetur iter.
Ad quemcumque locum, quascumque accesseris oras
Fiet in adventu terra beata tuo.
Nascentur violae, nascentur lilia passim
Per quaecumque sacros duxeris arva pedes.
Protinus ad Rheni gelidas ubi veneris undas,
Inde fugam venti corripientque nives.
Ipsa sui fiet Germania frigoris expers,
Nunc primum tepidas Ister habebit aquas.
Hospitibusque ferox, et laetus caede Sicamber
Desinet aspectu barbarus esse tuo.
Occurrent quacumque tibi juvenesque senesque,
Romanumque volet quisque videre Deum.

Tantus erit passim coetu luctatus in omni,
    Concursum populi non capiente via,
Quantus ad aspectum magni cum laeta triumphi
    Per fora, perque vias maxima Roma coit.
Non tamen ullus erit turba spectator in arcta,
    Qui nimis angustum sentiat esse locum.
Dum tua defixis oculis inhiabit ad ora
    Longe erit a sensu foemina virque suo.
Atque illic cunctis divina tuentibus ora
    Offeret in vultu se pia Roma tuo.
Illic Fabricius parvo contentus, et illic
    Cum dis colloquium dignus habere Numa.
Et magni probitas castaeque modestia frontis,
    Quicquid et antiquos nobilitavit avos.
Iam tibi se Caesar, tibi se Germania totam
    Tradidit ad nutus, arbitriumque tuum.
Iam quaesita facit, populos iam cogit in arma,
    Iam movet infestis obvia signa Getis.
Turcarumque iugo depressum vindicat orbem,
    Tam pia consiliis raptus ad arma tuis.
At sine te, quoniam dudum videt omnia moesta,
    Invidet externis martia Roma locis.
Iam Tiberis thuscum tristis descendit in aequor,
    Et queritur solem tam procul ire suum.
Felicemque vocat, quod te praesente fruetur,
    Danubium, quod te per sua regna vehet.
Et iam vota facit, positis iam supplicat aris,
    Utque cito redeas te tua Roma rogat.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Phoebus hyperboreas cum transmigravit ad arces,
Gavisus gelidi visere templa soli,
Laurigeri solita Delphi sine luce videntur,
Et sacer aoniae non fluit humor aquae.
Cyrrha silet, votisque hominum responsa negantur,
Mutaque cum toto Calliopea choro est.
Ast postquam niveo pulcher deus ore refulsit,
Redditus arctoi Phoebus ab axe poli,
Sole micant Delphi, subeunt nova gaudia Cyrrham,
Manat et ex omni largior unda lacu.
Quaerenti Cortina patet, sortesque loquuntur,
Promit et argutos Musa canora sonos.
Sic procul a nobis dum te tua Parma morata est,
Omnis ab his visa est lux abiisse locis.
Nulli hominum quaesita diu responsa tulere,
Eventusque fuit nescia turba sui.
Non soliti lusere chori, non carmina dicta,
Dura nec est ullo cura levata ioco.
Sed simulac reducem nobis te fata dedere,
Reddidit et nostrum Parma rogata Iovem;
Lux rediit, rediere suis oracula templis,
Consultusque pio iam canit ore deus.
Exultant Gradulae, et dulci spumantia baccho
Pocula, laetitia corda fovente, bibunt.
Martanos, Montisque Caput nova gaudia tentant,
Deditaque est festis Ischia tota choris.
Jam laeti Celeres, iam Varentana renident
Moenia, tam pulcris facta superba viis.

Haec bona, Farnesi, praesens cupientibus affers,
Augeat in titulos quae Deus ipse tuos.
Ut te Romulea videamus sede locatum
Clavigeri meritum pascere ovile Petri.
Dii facite, ante mihi Parcae quam stamina rumpant,
Lux oculis veniat illa videnda meis.

EX LIBRO TERTIO

EPIGRAMMATA.

DE NAVE FARNESII.

Si meruit coelum quae vexit Iasona puppis,
Ausa per ignotas currere prima vias;
Qua vehitur divum, superaeque Vicarius aulae,
Nobilis et toto maximus orbe Leo,
Haec una ante alias tanto vectore beata,
Quo tandem fuerit digna carina loco?

IN ADVENTU LEONIS PONTIFICIS MAXIMI.

Hunc quicumque vides factum de frondibus arcum
Forsitan ignoras serta quid ista velint.
Frondibus ornantur magnorum templa deorum,
Dum celebrat laetos Martia Roma dies.
Fronde renidet Hymen, gaudet Victoria fronde,
Laetitiae semper convenit illa novae.
Cura deum manifesta Leo, quo praeside rerum
Felicem terris credimus esse Iovem,
Visit Alexandri Farnesia tecta, decetque
Tam festum laeta fronde virere locum.

Ad Leonem Pontif. Max.

Cum placidam veris faciem novus extulit annus
Floribus, et laeto gramine ridet ager.
Laeta quod esse vides frondentibus atria ramis
Tota domus vernat, Te veniente, Leo.

AD DURANTEM.

Quis dat Alexandro parvi male culta Molossi
Carmina? Durantes tu meus ipse dabis.
Sed dandi cum tempus erit, ne forte molestus
His odium nugis invidiamque feras.
Dum vacat a rebus, curaque solutus ab omni est,
Illa etiam chartis hora sit apta meis;
Deponit dum ventris onus, nam carmina nostra
A domino satis est posse cacante legi.

AD FARNESIUM.

Hinc atque hinc tibi sunt tot agenda negotia, Princeps,
Ut memorem vatis non vacet esse tui.
Scilicet ex animo major tibi cura minorem
Tollit, et a rebus te trahit usque meis.
Contra nulla magis pectus mihi cura fatigat,
Quam quae de rebus me premit usque tuis:
Dum nunquam titubante fide tua pignora custos
Pervigil attenta severitate rego;
Dumque tibi similes studiis, et moribus esse
Filiolos tento nocte dieque tuos.

Non solet esse canis domino neglectus; et aequum est,
Sit tibi cura mei, si mihi cura tui est.
Me sperare jubes, sed spes solet esse caduca:
Qui cito dat, bis dat. Incipe quaeso dare.

DE FARNESIO ACCEDENTE DOMUM MOLOSSI.

Promptus ad exiguum Farnesius ire Molossum,
Parvaque fumosae tecta subire casae,
Fecit, ut invideant plures mihi, fecit et illud
Hospitis ut tanti laude superbus eam.
Angusti gaudete lares; quam viderit, auget,
Et fortunatam vult Deus esse domum.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Non potes, ut cupias, mihi te subducere, nulla est
Iam fuga, iam nusquam dissimulare licet.
Vidisti parvamque domum, nudosque penates,
Iam mihi, Farnesi, scis bene quid sit opus.
Non ego deposco quicquam mihi, sed petit ipsa
Paupertas temet teste probata mea.

AD EUNDEM.

Exortum primi tibi qui dixere nepotem
Munera non parca larga tulere manu.
Ast ego qui multis praedixi versibus illum,
Laturumque sui nobile nomen avi;
Tantum laudatus, sed non donatus abivi:
Quid tam diversa conditione sumus?

Dicere si prodest, plus est praedicere; cur non
Reddantur vati debita dona tuo?

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Quod mea dat carus tibi scripta Ranutius, hoc est
Ut placeant oculis qualiacumque tuis.
Grata Iovi puris manibus porrecta corolla,
Et litat a casta victima caesa manu.
Sic quaecumque tibi pignus tam nobile defert,
Ut placeant, non res, sed dator ipse facit.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Durus et impatiens molli requiescere lecto
It tuus in silvas densaque lustra puer.
Et Iove sub gelido noctesque diesque vagatus
Intulit hirsutis bella necemque feris.
Non rapidi juvere pedes, non cornua cervos,
Quos petiit nati missilis hasta tui.
Setosi cecidere sues, nec profuit illis
Fulminei tantas dentis habere minas.
Accipe quae tibi dat captivae corpora turbae
Militiae iuvenis pignus opusque suae.
Mox fera cum Turcis ubi te geret auspice bella,
Ad tua captivos sic trahet ora Getas.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Laudabant Ciminusque suas, et Fucinus undas,
Stagnaque dicebant cuncta minora suis.
Cum tales, Vulsinus ait, mihi reddite laudes,
Nam quid vestra meo par habet unda mari?
Sed taceamus aquas, quarum mihi copia tanto
Uberior, quanto gloria major opum.
Quando fuit vestris unquam Leo vectus in undis?
Quando manus vestris oraque lavit aquis?
At mea dignatur sibi visere regna quotannis,
Sanctaque de lymphis abluere ora meis.
Bisentina meo felix iacet insula ponto,
Accessu tanti nobilitata Dei.
Et Caput hoc montis nostrum quod currit in aequor,
Nobile Farnesi pignus opusque mei,
Iam bis tecta lubens tanto dedit hospita regi,
Et dabit: haec vestri quando tulere lacus?

AD CARDINALEM FARNESIUM,

Me mea parva domus jam fastidire videtur,
Nec satis indignum ferre libenter herum.
Aspice, Farnesi, tua quid commercia prosint;
Illa mihi hospitio facta superba tuo est.
Iure quidem, sed si dominum me negligit illa,
Si non dignatur, si cupit esse tua;
Sit tua, nil pugno: sed commutemus, ut aequum est;
Si tibi cedo meam, tu mihi cede tuam.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Spem mihi Alexander certam facis affore tempus,
Quo mei sit turpi tuta senecta fame.
Ipse meis primus das annua commoda Musis,
Commoda ad extremum percipienda diem;
Et melius sperare jubes: sperabimus ergo,
Clausa nec exiguo spes erit ista loco.
Tu meritis ne quaere meis quae congrua dona,
Sed quae fortunae sint magis apta tuae,
Cum pia adoratis libabimus oscula plantis,
Clavigerum nobis te referente senem.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Illa meis toties tibi jam praedicta libellis
Hora, tuis plusquam candida rebus adest.
I felix quo fata vocant; fortuna, deusque
Libera clavigeri dant tibi jura senis.
Dant annos simul innumeros, et tempora laeta,
Quod tibi veridico Delius ore canit.
Dii faciant, si justa precor, successibus istis
Ex aliqua liceat me quoque parte frui.
Debita, Farnesi, cum jam tibi sceptra tenebis,
Ne tua sit Musis regia clausa meis.
Concurrent, plaudentque tibi per carmina vates.
Felices, quorum carmine laetus eris.
Sit locus in tantis aliquis mihi plausibus, oro,
Et placeant sola carmina nostra fide.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Declives misereri animos et parcere lenes,
Esse decet rarae nobilitatis opus.
Degener est, si quis poenis et sanguine gaudet;
Ingenui semper mitia corda gerunt.
Delectent Siculos crudelia facta tyrannos;
Te pia, Farnesi, te benefacta juvent.
Nil Iove majus habet quod continet omnia coelum,
Hic tamen erranti non solet esse gravis.
Laeditur offensis, sed mansuetudine gaudet,
Quodque iuvat, mavult nomen habere Iovis.
Cui tamen irasci si contigit, haud ferit unquam
Fulmine peccantum corpora, saxa ferit.
Peccarunt lapsi fratres, peccasse fatentur,
Pro quibus impenso te rogat ore pater.
Coelestes imitare animos, veniamque precanti
Parce volens; meriti palma sit ista tui.
Sic pater ille suo qui digerit omnia nutu,
Cui parent coelum, sidera, terra, fretum,
Quo prodesse queas, et multis parcere possis,
Det, precor, arbitrio cuncta subesse tuo.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Lux bona, lux felix octavi septima mensis,
Lux quae purpurei nomina solis habet,
Augusto augurio carum tibi prima nepotem
Conspicuum terris sideribusque dedit.
Tu votis laetare tuis, ego laetus eisdem
Solemnem hunc facio per mea liba diem;

Et iubeo tristes animo discedere curas,
Nulliusque velim iam meminisse mali.
Vos blandi dulcesque ioci, vos festa venite
Gaudia, coelestes ad pia sacra chori.
At tu, magne puer, quocumque vocaberis olim
Nomine, seu cari nomen habebis avi,
Seu proavi, seu Caesar eris, dum pauca precamur,
Et damus in laetos thurea dona focos,
Ne vagi, sacrisque tuis placidissimus adsis;
Natales veniant sic tibi mille dies.
Diique Deaeque, domus quibus est Farnesia curae,
Sint rata quae populis munera tanta datis.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Sunt quì scire velint rerum secreta, quis auctor
Aequoreas cęrta lege gubernet aquas:
Grandine cur Boreas foecundior, imbribus Auster,
Frigida cur hieme est, vere tepescit humus.
Haec ego nil quaero, demens si talia curem;
Quae mihi, Farnesi, cura sit ergo rogas?
Dicam ego, cura mihi est, sed non nimis anxia, scire
Quae promisisti quis dabit aera mihi?
Hoc ego, Farnesi, si te duce et auspice disco,
Nec plus scire mihi, nec didicisse velim.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Gallia, Farnesi, postquam te laeta vocavit,
Accepitque suum Parma beata Iovem,

Omnia quae nobis coelo sunt clara sereno,
Tam vaga, quam certis sidera fixa locis,
Non magis hic lucent, quam de fornacibus ignes,
Cum super effusa discutiuntur aqua.
In tenebris et nocte latet lux alma, nec ullus
It vacuus nimbis turbinibusque dies.
Tanquam diluvium terris cladem que minentur,
Humanumque velint perdere fata genus.
Non possunt cultae mandari semina terrae,
Ipsa adeo largis rura teguntur aquis.
Solve moras, et te conspectibus assere nostris,
Et, si aliquid possunt publica vota, redi.
Omnia quae nobis coecus vehit improba casus,
Laeta dabunt faciles, te veniente, Dei.

AD CARDINALEM FARNESIUM DE SOLIS DELIQUIO.

Ad tua, Farnesi, dum gaudia purpureus Sol
Spectat, Alexandro perfruiturque suo,
Opposuit fratri Phoebe sua lumina Phoebo,
Invidiae miseris sollicitata malis.
Cui Phoebus, nihil est nobis pugnare necesse,
Alternis puerum respiciemus, ait.
Atque haec semper erunt inter nos foedera certa;
Noctibus aspicies ipsa, diebus ego.
Lex placet, assensit. Sic per tua pignora Phoebus
Arbitrium lucis, Cynthia noctis habet.

AD FARNESIUM.

Quaeris Alexander, cur sit mihi trita lacerna?
Trita est, quod populo me dare verba iuvat.
Gratia magna tibi; nam quo ferar esse poeta,
Non prohibes laceram semper habere togam.

AD EUNDEM.

Carmine, Farnesi, liceat mihi ludere tecum,
Nec mea sint, quaeso, verba molesta tibi.
Esse verecundo mihi contigit, et bene factum est;
Nam proba res certe est digna et amore pudor.
Sed compensatum est alia ratione, quod ista
Nostra nihil prorsus Musa pudoris habet.
Improba poscendo est. Sed tu, quod principe dignum
Hoc age, et utatur moribus illa suis.

AD FARNESIUM.

Dum tuus uxorem natus socerosque revisit,
Illi, ego sum custos jussus et esse comes.
Quem tibi dum studeo incolumem salvumque referre
Per loca silvestris vix adeunda viae;
Non potis ipse fui mea pallia salva referre,
Dum peragro incultis horrida tesqua rubis.
Quorsum haec, inquis, eunt? salvum tibi reddimus ipsum
Filiolum, salvam tu mihi redde togam.

AD FARNESIUM.

Sunt quibus arma placent, sunt quos iuvat ire per aequor,
  Et regere adversis vela ratemque notis.
Hic domat arva manu, curvoque innixus aratro
  Urget anhelantes voce manuque boves.
Sed neque vesani qui martis amore tenetur,
  Nec dubias fragili qui trabe sulcat aquas,
Tam grave curet opus, si praemia justa negentur,
  Irritaque exhausto vota labore cadant.
Rura vacant sulcis, desertaque littora cernas
  Classibus, et subita castra relicta fuga.
Spes hominem mercedis agit; labor omnis ab ista est,
  Commoda si demas quisque remittet opus.
Fertur equus rapido praeceps ad pallia cursu;
  Praemia si tollas, currere cessat equus.
Sunt fidei commissa meae tua pignora, Princeps;
  Hic ego sum miles, hic ego nauta tibi.
Hic ego sum cultor pretiosi fidus agelli,
  Hic meus ad metam currere gestit equus.
Sit modo suscepti merces non vana laboris,
  Quod libet invicta mente feremus onus.

AD EUNDEM.

Quid rerum tibi nunciet bonarum,
  Quod carmen tibi destinet Molossus
  Quod vultu placido legas, velisque,
  Farnesi, tibi saepe nunciari?
  Illud scilicet, unde scire possis

Quae pluris facienda, quam sepulti
Magnarum cumuli pecuniarum;
Quod Ranutiolus tuus meusque,
Quod Ranutioli tui meique
Mellitissimus optimusque frater;
Quod sit perpetuum tibi mihique,
Firma cum valetudine educantur,
Magna spe, dociles, probi et modesti,
Et majoribus et parente digni,
Concordes simul, id quod osculeris,
Et mira pietate colligati.
Qui nos pro meritis remuneratur
Arbiter bonus improbi, probique
Pro tua pietate et aequitate,
Haec dat maxima Iuppiter, tibique,
Farnesi, meliora pollicetur.

AD FARNESIVM.

Si quid habent quod signa tuis infesta minentur
Filiolis, rapido sint iocus illa Noto.
Cumque diu fuerint gelidas raptata per auras,
Oceani saevis irrita dentur aquis.
Atque adeo primus qui noxia sidera fecit,
Adscripsitque piis qui mala nostra Deis,
Saucia perpetuis habeat praecordia curis,
Atque illi a trepido non vacet hora metu.
Ignea nil possunt mortalibus astra nocere:
Quid nimia timidi credulitate sumus?
Idem homines fecit, qui sidera condidit auctor,
Idem opus affectu servat utrumque pari.

Exige sollicito pavidos de pectore motus,
Servabit natos Iuppiter ipse tuos.

DE FARNESIO.

Palliolum infelix lacerum Tranquillus habebat
Tectus ad expressam pauperis effigiem,
Qualis in attrita cum veste Philobius ibat,
Squallidus ante sacri munera pontificis.
Risit Alexander parvum sine tegmine vatem,
Certa sed in risu signa faventis erant.
Utque solet, magno donatum munere Princeps
Iussit honorata comptius ire toga.
Pro quo quid voveam danti, nisi tempora longa,
Munera quo possit saepius ista dare?

AD FARNESIVM.

Vulsinis quod captus aquis, Gradulana recusas
Pocula, Nisaei est iusta querela dei.
Dii meliora tibi: secuit sibi crura Lycurgus,
Invidiam tanto dum movet ille deo.
Haec ego, si quaeris, cur laudem vina, bibamque;
Dicam, quod salvis cruribus esse volo.
Si sapis, approperes Gradulas, et piscibus istum
Nescio quem linquas anseribusque lacum.

AD FARNESIUM.

In Rusellanam quod fulmina miserit arcem
Iuppiter, eversam distuleritque domum,
Haec tibi, quae metuas, non sunt praesagia; tantum est
Ne desit, Princeps magne, quod aedifices.

DE PALATIO FARNESIANO.

Farnesî dum spectat opus, miratur et altum
Amphitheatrali surgere mole decus,
Ipse sua de sede Pater, cui coelica vis est
Claudere, et alterna regna aperire manu,
Hic, inquit, mihi templa velim disiecta reponat
Qui tibi tam raram scit dare Roma domum.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Parce supervacuos venandi ferre labores,
Et fera ventorum flabra nivesque pati.
Nil tibi, Farnesi, latos irrumpere saltus,
Nil opus est multa lustra subire cavae;
Nil opus est cursu celeres agitare veredos,
Ut tua fulmineum vulneret hasta suem;
Cesset equus, cessentque canes, ponatur et hasta;
Dic veniant, venient ad tua iussa ferae.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Sera quidem venient, sed non tamen irrita, Princeps,
    Tempora iudicii signa futura mei.
Non ego sum cupidis qui blandiar auribus auspex,
    Qui iucunda vafer vendere verba sciam.
Quod fore praedixi solido ex adamante ligatum est,
    Nullo unquam ut possit tempore dissolui.
Hoc coelum differre potest, auferre potestas
    Nulla homini, nec enim Iuppiter ipse sinat.
Tu modo, cum felix tibi venerit hora, memento
    Firmiter haec animi ostenta fuisse mei.
Tunc nec opes nec regna peto, sat gloria veri
    Iudicii, sed te iudice parta mihi.

TRANQUILLI MOLOSSI

CHRISTIANA RELIGIO

AD ALEXANDRVM FARNESIUM CARDINALEM.

Aethereas quicumque viam molitur ad arces
Sanctarum sedes animarum, ubi gaudia nullis
Interrupta malis, nullique obnoxia curae
Pax habitat, mentisque quies aeterna moratur;
Tergeminum ille Deum supplex veneretur in uno
Numine, et unius triplici sub numine numen
Suspiciat, neque dissociet, neque misceat usquam.
Namque alius Pater a Nato, nec Spiritus idem
Qui Pater, aut Natus; tamen horum est aequa potestas
Maiestasque eadem, et concretum in saecula regnum
Nec varium subeunt triplici sub nomine numen,
Quodque triforme unum est trifido diademate regnum.
Quemque horum dic esse Deum, tres esse putare
Fasque piumque vetant. Nullo Pater editus ortu,
Nullo dissimilem genuit discrimine Natum,
Halitum uterque sacrum pariter spiravit eundem:
Sic Pater est unus, sic Filius unus, et unus
Spiritus, éque tribus faciem densantur in unam.
Aequali sibi sorte pares aequaliter omnes
Aevum aeternum agitant, nihil est maiusve minusve,
Posteriusve priusve nihil; veneranda sub uno
Triplex forma Deo, Deus observandus in illa est.

Credat item, propriae cui cordi est cura salutis,
Natum illum coelestem ab summi sede parentis
Demissum in terras intactae e virginis alvo
Humanos sumpsisse artus molemque caducam,
A turpi erigeret genus ut mortale ruina,
Morte sua et nobis coeli supera alta pararet;
Esse Deum hunc hominemque simul, qui scilicet idem
Auctorem qua parte suum contingit, eundem
Coniuncti sorte imperii et vi numinis aequat;
Parte minor qua factus homo est, qua corporis usum
Induit, et fragili voluit sub carne latere.
Qui quamvis Deus est, quamvis homo, nec tamen unquam
Esse duos credas, etenim unus Christus in illis;
Nec quod in humanam divina potentia carnem
Versa sit, unus is est; sed quod divina sibi mens
Naturam mortalem, et nostros sumpserit artus.
Personarum in se concretio perficit unum,
Non ut confundi substantia debeat harum:
Utque animam et corpus socia ratione fatemur
Esse hominem, sic coniunctos hominemque Deumque
Unum esse, ista duo Christum fateamur oportet.
Haec pietas, haec relligio, haec sincera fides est;
Haec via sidereos ferre Omnipotentis ad axes
Credentem, certaque Deum spe et mente sequentem.
Diversae quemcumque viae commiserit error,
In tenebras noctemque ruet, loca tetra nocentum.
Demens, qui veram lucem delapsaque coelo
Sancta salutiferi violarit dogmata verbi.
Magne orbis servator, io, fortissime Averni
Debellator, io: nostrae quem causa salutis

Atque amor in terras summo deduxit olympo,
Tu crucis affixus ligno crudele subisti
Supplicium, mortique datus claususque sepulcro
Triste triumphati regnum descendis ad orci,
Unde resurgentem mox te lux tertia vidit.
Aethereas idem conscendis victor ad arces,
Dexter ubi patri resides, quum tempora poscent,
Venturus iudex vivorum, et luce carentum.
Tum rediviva suis exibunt corpora bustis,
Tum genus humanum, vitae ratione peracta,
Pro merito aut poenas, aut praemia digna subibit:
Felices, quorum tu crimina condonaris!
Vivida quos virtus verae pietatis amantes
Duxerit insonti tua per vestigia vita;
Quantum illis mercedis erit, quae dona dabuntur!
Quantum laetitiae fortunataeque quietis!
At quos diverso vitiorum semita calle
Egerit in praeceps, tua qui promissa, tuasque
Abnuerint leges, mandataque conculcarint,
Hos locus infelix tenebris et nocte sepultus,
Squallida senta situ regio et damnata labori
Expectat, quos sulfureo sub gurgite volvet
Ignibus insanis Phlegethon, morsuque perenni
Carpet, et aeternis uret mens conscia flammis.
Da Pater omnipotens tales evadere casus,
Da precor, exortemque mali traducere vitam.
Et quoniam vasta pelagi iactamur in unda
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur,
Exime naufragio miseros, et ad hospita nostram
Littora tende ratem, portusque ostende quietos;

Ut cum summa dies extremaque venerit hora ,
Cum me congestae contectum cespite glebae
Proximus Eridano Vellei vicus habebit ,
Spiritus hic placidas coeli sublatus ad arces ,
Iamque metu liber curaque solutus ab omni ,
Dignatusque choro atque animarum sede piarum ,
Perpetua requie atque aeterna luce fruatur ,
Perque immensa tua meditetur saecula laudes.

DE CODICE CARMINUM
IOSEPHI NIGRI.

Inter plures egregios viros, qui cognomento *Nigri* appellati in litteris floruerunt, duo extitere in Farnesiorum aulam cooptati. Stephanus alter, qui multis scriptis philosophicis, philologicis, et poeticis claruit, et ab Alexandro I. Farnesio in Petri Aloysii magisterio Tranquillo Molosso socius adinnctus fuit, de quo supra canentem vidimus Molossum in *Palieti* carmine:

Ille etiam comes Aonias tibi fidus ad artes,
Silvarumque sciens Niger et componere solers,
Iamdudum antiquis certet quod laude poetis:
Sanguis amorque meus Niger, et probitatis imago
In tua se totis praeconia viribus addet,
Aeternumque suo te carmine mittet in aevum.
Nunc quoque non timidus pulcro tibi dicere versu,
Quae cui grata Deo, referat quos arbor honores,
Postera quod carmen nunquam damnaverit aetas.

Alter erat paullo iunior Iosephus Niger Cremonensis, qui in Farnesiorum clientela per multos annos degens inter Ranutii Cardinalis familiares adscriptus fuit. Natus ille Cremonae anno 1518, et studiis ab infantia intentissime vacans, multa carmina in ipso adolescentiae flore composuit, ut *cum nondum suas signaret lanugine malas mol-*

lis adhuc aetas, et cum vix nonus decimo superadditus esset annus, elegias complures, amores, et iuveniles illos versus, qui magnam ipsi famam inter Poetas peperere, iam a se compositos, et doctorum hominum manibus avidissime versatos, ipse nobis testatum reliquerit.

Iosephi carmina typis dare in animo habebat Aurelius Iosephus Niger eius ex fratre pronepos, sed, ut ait Franciscus Arisius, (1) *cordatum virum, et iugi studio in conscribendo Martyrologium Ecclesiae Cremonensis deditum detinuere versus illi Lusus Iuveniles inscripti*. Fuit ille Farnesiis addictissimus, ut saepe in carminibus testatur, quae plurima sunt in eorum laudem composita. Celebris inter ea est Ecloga de die natali Pauli III., seu Alexandri I. Farnesii; sed cum nos hactenus multa in huius honorem a Molosso conscripta ediderimus, et nimis ea longiuscula apparere queat, missam hoc loco facimus; et duas tantummodo epistolas ad duos Cardinales ipsius Pauli nepotes huc afferemus, quarum altera ad Alexandrum, altera ad Ranutium inscripta est. Extat in nostra Bibliotheca horum poematum codex, quem ille Ranutio Cardinali dedicat epistola, quam nos dabimus, non modo, ut eius observantiam in Farnesios perspectam habeamus; sed etiam ut quid in suis poematibus, quae parum cognita sunt, aut fere prorsus ignota, cecinerit, cunctis innotescat. En codicis titulum:

(1) Cremona Litt. t. II. p. 373.

CLXVIII

IOSEPHI NIGRI CREMONENSIS

ECLOGA DE NATALI

PAULI III. PONT. MAX.

EIUSDEM EPISTOLARUM.

LIBER UNUS

EIUSDEM ELEGIAR. SIVE AMOR. LIBRI DUO

FUNERUM UNUS.

Codicem hunc Ranutio Cardinali sequenti epistola dedicat:

Illustriss. ac Reverendiss. Raynutio Farnesio Cardinali amplissimo ac Domino suo observantissimo

IOSEPHUS NIGER S.

Quum iampridem tuus essem mancipio, et nexu, cupiebam sane quidem aliquid extare, quo tuus etiam usu, et fructu dici merito possem: sed nihil a me proficisci posse videbam unde tu fructus aliquid capere posses. Ea est enim utriusque nostrum fortuna, eae vires, id ingenium, nihil ut ego amplum, et grande, nihil pulchrum, et firmum, nihil solers, et acutum possim praestare. Tibi vero contra haec omnia, et multo plura debentur. Sperans tamen fore ut Artaxerxem illum imitatus, quid animi potius, quam quid rei offerrem, considerares, li-

bellum hunc meum tibi προσφωνειν non dubitavi, ut vel ea saltem ratione possem, quanta te observantia, et amore prosequar, indicare: et quam sim gratus erga te, ac memor humanitatis, et benevolentiae, qua me semper ita complexus es, ut multi inviderent, testari. Quum ego, ut verum fatear, illum tibi vel ob id potissimum gratum fore confido, quod sit tuus. Tuus enim dici merito debet, vel quod tibi sit quasi dicatus, vel quod sit magnam partem de te, fratreque tuo scriptus, ita ut a principio Avum tuum Paulum III. Pont. Max. unum post homines natos prudentissimum complectatur, vel potius quod a servo, qui semper acquirit domino, proficiscatur. Nec tu, ut opinor, partem illam reiicies, quae scripta sit fortasse petulantius, quam quae homini omnium castissimo legenda videantur. Illud tu memineris: Lasciva est nobis pagina, vita proba. Quicquid igitur illud est tandem, quod nos servi grati, et memores damus, tu boni, nisi fallor, consules; et nos qui te velut hominem de Coelo delapsum colimus, suspicimus, et admiramur, diliges; nec quos semel in tuam clientelam recepisti, eadem posthac indignos iudicabis. Vale.

ALEXANDRO FARNESIO CARD.

EPISTOLA PRIMA.

Nunc libet in magnos Erato descendere fluctus,
Et per inaccessas nunc iuvat ire vias.
Iam remis opus, et velis maioribus uti,
Curret in undoso firmior amne ratis.
Hactenus imbelles cecini lascivus amores,
Et tua sum miles castra sequutus Amor:
Maior ad heroos me provocat aura cothurnos,
Nunc sequar invicti fortia castra ducis.
Maior in ore Deus mihi personat, ille canenti
Usque aderit, nostras audiet ille preces.
Quod si destituar mediis in fluctibus, audax
Laudabor certè, nam voluisse sat est.
Surge anima ex humili versu, viresque resume
Maiores, magni nunc erit oris opus.
Dexter Alexander magnae spes altera Romae
Huc ades, auspiciis fama petenda tuis.
Quamquam sis titulis, et Avi sis nomine magni
Cognitus, et toto nomen in orbe tuum;
Attamen his minime titulis tua fama quiescit,
Sed parat ingenio celsior ire tuo.
Nam vix audierat te luminis editum in auras
Roma, Deos precibus cum venerata fuit;
Et caput erexit super ardua rursus olympi,
Non secus ac priscos si reparasset avos.
Et non immerito, cum iam puerilibus annis
Edideris magni fortia facta ducis.

Nam dum confusi gravibus premeretur habenis
    Imperii, ac lapsum dum revocaret Avus;
Ingenium, magnae miratus et indolis artes,
    Et quae saepe tui plurima signa dabas,
Te sibi collegam assumpsit, comitemque laborum,
    Et ius assumpto tradidit imperii.
Cum vero arsisset inter discordia reges,
    Ac iussi armarent horrida bella duces,
Solus es electus de tot, qui nuncius ires
    Discordes regum conciliare animos.
Tum procul a Latio diversas missus in oras
    Quae loca lustrasti, quot populosque brevi?
Ut taceam partes, qua tendit ad usque Britannos
    Gallia, et extremo clauditur oceano,
Helvetios, altasque Alpes, ripasque Lemani,
    Et percurristi, mons ubi Iura iacet.
Quaque fluit Rhodanns, populos ubi Mosa coercet,
    Qnaque etiam Sequanos Rhenus inundat aquis.
Inde Pyrenaeum superas, hispanaque regna,
    Atque ubi iam Latio fida Saguntus erat.
Praeterea innnmeras gentes, popnlosque revisis,
    Dum celer ad reges isque redisque viam.
Quae loca uti paucis tibi sunt percursa diebus,
    Sunt ita visa animo parva theatra tuo.
Non tam magna plagis capitur tna gloria parvis;
    Orbis huic animo vix satis unus erit:
Pars cuius regnatnr Avo, imperioque tenetur
    Illius, ut regnum dum fovet, auctet ope.
Maxima pars etiam iam sub sua iura trahetur,
    Accedet titulis pars tamen illa tuis.

Nam pia bella parat, victriciaque arma resumit
Unica spes nostrae relligionis Avus.
Scilicet audaces Afros, belloque superbos
Opprimat, et victos sub ditione regat.
At tu militiae princeps anteibis in hostem,
Et prior ante omnes conspiciere duces.
Victrices acies, victricia signa movebis
Hostis ubi summum ius tenet imperii.
Quot populi te sponte sua, et tua signa sequentur?
Ipse etiam tantae pars ero militiae.
Et iam laetus Avus ducentem ex hoste triumphos
Incolumem excipiet teque, tuosque duces.
Captivos reges, captivaque regna videbit,
Cumque suis titulis oppida capta leget.
Africa cum populis spectabitur ordine longo
Vincula ferre manu, qua prius arma tulit.
At tu Sidonio victor sublimis in ostro
Ante coronatos ire videbis equos.
Tum Paulus supplex pro sospite vota Nepote
Magna dabit superis, et pia thura Deis.
Et pariter matres, et plebs pia tempora lauro
Vincta Iovi merito laurea serta dabit.
Ast ubi victor Avi solio successeris alto,
Et fuerit regni tradita summa tibi,
Quam tibi portendunt, ni sint mendacia fata,
Roma iterum magnum tollet ad astra caput.
Nam quodcunque loci superat, quod gentis ubique est
Lucis inexpertae sub tua iura trahes.
Quin etiam, si fata annos, tibi debita vitae
Tempora, praestiterint, ut precor, utque dabunt;

Inclita Farnesi descendet fama sub imos
    Antipodas, nostris regna reperta viris.
Denique regnabis toto feliciter orbe,
    Perpetuoque tuum nomine nomen erit.
Hos ego carminibus referam fortassis honores,
    Atque haec gesta, mihi dent modo fata dies.
Interea iuvenis patriae spes, gloria gentis
    Ampla tuae, et magno non leve nomen Avo,
Si fortasse tibi videor temerarius esse
    Ausus inexpertas inscius ire vias,
Da veniam, atque humiles ne dedignare Camenas
    Praebens ingenio vela secunda meo.

ILLUSTRISS. RAYNUTIO FARNESIO ADOLESCENTULO CERTISS. SPEI

EPISTOLA II.

O quem te memorem iuvenis Farnesia proles,
    Spes excelsa tuae non dubitata domus?
Unde prius coepti surget mihi carminis ordo?
    Quid prius amplectar, posteriusve canam?
Hinc tua nobilitas, hinc me tua candida virtus
    Excitat, et cupidum mens super astra rapit.
Sed quid nobilitas, et avorum nomina magna
    Profuerint, si quo crimine vita labat?
Si quis enim titulos vitiet, perit omnis in illo
    Gentis, et antiquae nobilitatis honos.
Aggrediar titulos igitur, laudemque referre
    Quam tua iam virtus fertque, feretque tibi.

Quamquam me vires, quamquam me cognita virtus
    Terret, ut ad laudes sim satis ipse tuas.
Tu, nostrae quodcunque valent audere Camenae,
    Excipiàs hilari fronte, libensque fave.
Hoc tibi, quicquid id est, quod scribimus, omne movemus,
    Ne careat tanto nomine charta mihi.
Nam tua certat Avo virtus excellere magno,
    Et certat titulis notior esse suis.
Nec modo conatur fratres aequare, sed illos
    Vincere contendit spe meliore tui.
Si vis ingenii, vel si facundia linguae
    Quaeritur, aut mixti cum gravitate ioci;
Vim Laertiadae vincis puerilibus annis,
    Gratia Nestorei mellis in ore tibi est.
Nec mirum; cunis, et matris ab ubere tecum
    Haec bona fers raro munere Coelituum.
Quid? iam scrutaris cunctarum exordia rerum,
    Magnum opus, et cupida sidera mente petis.
Ut rudis et prima crescens ab origine mundus,
    Sideraque, et varia lege regantur aquae.
Si specimen, virtusque animi, si gloria belli
    Spectetur, vinces fortia facta ducum.
Auguror, et certis haud errant carmina signis,
    Si fuerint annis fata secunda tuis.
Ipse ego iam videor, duce te, per tela, per hostes
    Spargere fulminea funera dira manu.
Praeterea facilis, positoque per omnia fastu,
    Mitis es, et tua mens asperitate caret.
Unicuique faves, et amorem quaeris amando,
    Omnibus arrides, obsequiumque doces.

Hinc tibi, dum numerosa iuvat tua pectora virtus,
    Cultorum varia personat arte domus.
Felix illa dies, quae te produxit in auras,
    Quae tibi tot dotes, hos animosque dedit.
Te nascente caput virtus super extulit astra,
    Enituitque velut sole oriente iubar.
Per te Pierides, per te nunc regnat Apollo,
    Incipit et pretium vatibus esse suum.
Dì tibi dent annos, et Avi superare senectam,
    Illi autem Pylium dent superare senem.
O si iam validae mihi robur mentis inesset,
    Si responderet vis, animoque vigor!
Quas canerem laudes, quae nomina digna referrem,
    Quale mihi coepti carminis esset opus?
Sed Deus auctor abest, et membra trementia languent,
    Et mea iam cervix pondere fessa labat.
At desiderium superest, et prompta voluntas,
    Quae snperat captu sidera celsa suo.
Tu tamen ipse libens animum dignabere nostrum,
    O decus eximium gentis, honosque tuae.
Nam voluisse sat est, forsan meliora canemus,
    Spes animum, vires tum dabit ipse favor.
Tu modo laetus ades, coeptisque allabere nostris,
    Et mea sub Pauli sidere vela rege.

DE ALIO CODICE FARNESIANO.

Alter adest nobis Farnesianus codex, qui cum scriptum in fronte ferat: *Facciutae in fontes Caprarolae* (Farnesianae villae) *et Cryptae Ferratae*, totus fere in Farnesiorum laudibus versatur. Satis superque carminum de horum laudibus arbitror a nobis hactenus allatum esse, ut haud iniuria existimari liceat post tot Tranquilli Molossi, et Iosephi Nigri poemata Facciutaea isthaec non fore admodum a lectoribus requirenda. Hic ergo tantummodo codicis titulum dabimus, ut Poeta Melphitanus Neapolitanis bibliographis, aliisque, quantum sciam, prorsus ignotus in communem notitiam perveniat:

In fontes Caprarolae et Cryptae Ferratae Alexandri Farnesii Cardinalis Sebastiani Facies cognomento Facciutae Melphitani. Responsio ad Laurentium Gambaram per easdem consonantias.

Melphitanus poeta Alexandri Farnesii Cardinalis consuetudine, et Laurentii Gambarae notissimi poetae amicitia coniunctus, Neapolitanorum scriptorum numerum et laudem augere potest; nec iniucundum iis esse debebit ipsius carminum codicem in Bibliotheca nostra latentem a nobis fuisse commemoratum.

DE QUODAM CODICE SERIPANDIANO.

Inter nonnullos Hieronymi Seripandi Cardinalis manuscriptos codices, qui supra memoratam Vindobonensem deportationem non subiere, servanturque adhuc in nostra Bibliotheca repositi, unus extat, qui et ipsius Hieronymi Seripandi, et eius fratris Antonii, et Iacobi Caelani, et Pomponii Gaurici, et Hieronymi Carbonis, et Scipionis Capicii, aliorumque complurium neapolitanorum poetarum, et nonnullorum etiam exterorum latina atque graeca carmina complectitur. Atque haec cum magnam partem et Seripandos, et Ianum Parrhasium Carbonarianae Bibliothecae institutores spectent, videri possunt aliquem hic sibi locum postulare. Sed iam haec prodromi coronis longiorem quam ipse prodromus sermonem ducit, nosque admonet, ut ab illis describendis abstineamus. Verumtamen ne codicem tot carminibus plenum prorsus intactum relinquamus, paucissima tantummodo quaedam eaque breviuscula lectoribus delibanda propinamus, eosque ad anecdota ipsa, brevi in lucem proditura, inspicienda invitamus.

AD ANTONIUM SERIPANDUM

Petrus Summontius Antonio Seripando accomodatos calamos mittere solebat, munusculumque suum aliquo distico ornabat.

Mittere cum gemmas nequeam fulvumque metallum,
Accipe Cecropiae munera parva Deae.

Rursus :

Quae tibi consueto veniunt Seripande tributo,
Accipe Summonti munera parva tui.

AD HIERONYMUM SERIPANDUM

Cardinali Hieronymo Seripando Iacobus Caelanus.

Mittere me xenium veteri de more soluti
Saturni vinclis admonuere pedes.
Sed mihi quod mittam nihil est hoc munere maius,
Pignus amoris id est, pignus et ingenii.
Aurea dona ferant alii, tu carmen habeto :
Carmen erit nostrae testis amicitiae.

Scipionis Capicii ad Hieron. Seripandum.

Quod te non adeam, coelo nec laudibus aequem
    Ausa piae mentis propositumque tuae,
Dum plausus vulgi fastusque exosus inanes,
    Te patriae optatum subtrahis in gremium,
Et nigri imperium, et rubri consortia coetus
    Negligis, et dominae respuis urbis opes,
Ac superum sedes, magnique arcana tonantis,
    Quaeque nefas aliis cernere, solus adis:
Haec ego quod sileam, tua nec Seripande frequentem
    Limina, nec blando perfruar alloquio;
Ingrati memorisve parum non signa putabis
    Illa animi, aut constem quod minus ipse mihi:
Sed quia dum vulgi mores et saecula damno
    Tutius urbana vivimus aure procul.
Quae colimus, nostras non mulctant rura querelas,
    Nil hic quid faciam, quid loquar excipitur:
Atque impune licet per fas in praemia vitam
    Ducere, perque artes excoluisse pias.

Ad Ianum Parrhasium Rhetorem facundum et Excellentiss. Evangelista Bladarius Car.

Excita nunc somno est, quae iam sopita iacebat
    Territa, et invasit me mea Calliope:
Ianus adest, dixit, nostris venerandus in oris,
    Hunc sacrum vatem nos celebrare decet:
Vade salutatum, tribuas pro munere laurum,
    Utque diu vivat, da pia thura Iovi.
Nec timeas gemino spectantem tempora vultu:
    Argivi, et latii est gloria gymnasii.

Ad Ianum Parrhasium Rhetorem consum. Evangelista Bladarius.

Exiguos elephas culices, spernuntque volucres
    Imbelles aquilae, vulnera parva leo.
Sic Ianum illaesum feriunt mala scommata vulgi,
    Non timeat Phoebum sic paedagogus iners.

Iano Parrhasio Fed. Por.

Non aquilis formica nocet, nec musca: leonis
    Contemnit timidas nobilis ira feras.
Irrident nani sublimes tela gigantes,
    Nec culicis morsus bellua vasta timet.
Murmura nec vulgi curat mens conscia recti;
    Respuat indignos Parrhasis ursa canes.

CLXXXI

PARRHASIOLUS LOQUITUR

(*Erat hic Iani Parrhasii , et Theodorae Chalcondylae filius.*)

Qui graecas artes didicit , docuitque latinas
  Me pater ingenuit sidere propitio.
Me tulit et mater , quae nescit cedere cuiquam
  Moribus , haec Graeci filia mente sapit.
Si mea maturum me sors perducet in aevum ,
  Nec saeva feriat stamina Parca manu ,
Credite , maiores fructus genitrice parabo ,
  Maiores etiam quam pater ipse dedit.
Ergo tuum est orare deos qui discere quaeris ,
  Aetatem praestent ut mihi Nestoream.

F I N I S.

INDEX.

A

B

C

N

P

R

S

Seripandus (*Antonius*) libris Parrhasii suos adiunxit , et fratri suo Hieronymo dedit . XXX.
—— Hieronymus Cardinalis libros suos , Antonii fratris , et Iani Parrhasii Bibliothecae S.Io: in Carbonaria reliquit. XXX. in eum plura carmina scripta. CLXXVII.

V

Wolphius (*Io: Christ.*) Photiana plura edit . LXXXVII.et XCIII.



